




PALAEESTRA LATINA



HORATIANA

QUINTO HORATIO FLACCO
POETAE LATINAЕ GENTIS
CLARISSIMO
ANIMO INGENUO AMABILI RECTO
LYRICO EXCELSO
SATIRICO MORALI
BIS MILLESIMO RECURRENTE ANNO
AB EJUSDEM NATIVITATE
PALAEESTRA LATINA
HAEC STUDIA HORATIANA

D. D. D.

ORDINARIИ AC SUPERIORUM
PERMISSU

HORATIUS NATUS ERAT DIE 8 M. DECEMBRIS ANNO 65 ANTE CHR. N.

S U M M A R I U M

1. **Ad Horatium**
HENRICUS MARTIJA, literarum Latinarum in gymnasio Cervariensi Professor.
2. **Q. Horatius Flaccus et A. Legionensis**
JOSEPHUS LLOBERA, Professor emeritus et scriptor illustris. († Vide Pal. Lat. ann. VI, p. 35).
3. **De Q. Horatii Flacci operibus poeticis**
ANDREAS AVENARIUS, literarum Latinarum in Gymnasio Tirschenreuthensi apud Germanos Professor.
4. **Horatii vestigia in Prudentio**
HENRICUS MARTIJA, literarum Lat. Professor.
5. **Versiones Horatianae tres praecipuae**
ROMANUS Rfos, Humaniorum Literarum in Lyceo Ramsgatensi apud Anglos Professor.
6. **In Carmen Saeculare Q. Horatii Flacci commentarium**
JOSEPHUS MARIA JIMÉNEZ, literarum Latinarum in gymnasio Cervariensi Professor.
7. **De Artif. Harmoniae principio in Arte Poetica Horatii**
DANIEL RUIZ, literarum Latinarum in Instituto Nationali Bilbilitano Professor.
8. **Horatius Fabularum Scriptor**
GREGORIUS MARTÍNEZ CABELLO, Humaniorum literarum in Gymnasio Segoviensi Professor.
9. **Horatius Poeta Philosophus**
EULOGIUS NEBREDA, Philosophiae et Theologiae atque utriusque juris Doctor et Professor.
10. **Horatius et Vergilius in Epodo XVI et Ecloga IV**
AURELIUS ESPINOSA PÒLIT, Humaniorum literarum in lyceo Coto-collaeensi apud Aequatorianos Professor.
11. **Horatius doctis viris crebrius est in ore**
EMMANUEL JOVÉ, Literarum Latinarum in Gymnasio Cervariensi Professor.
12. **Laudes Horatianae**
LEANDER FANLO, Humaniorum literarum in Gymnasio Cervariensi Professor.
13. **Annales Carminum Horatianorum**
CAROLUS FRANK, illustris rerum antiquarum investigator.


Pretium hujus numeri Horatiani est 2'50 pesetarum

CURRENTE BIS MILLESIMO ANNO A NATIVITATE

QUINTI HORATII FLACCI IN COMMENTARIO «PALAESTRA LATINA»

SUNT EDITA HAEC STUDIA

HORATIANA



CERVARIA
MCMXXXV

T Y P I S F . C A M P S C A L M E T . - T A R R E G A E



AD HORATIUM

(Imitatio Horatii Carm. II, 20)

Non usitata nec tenui volans
Pennae, uniformis per liquidum aethera
Vates, et in terris adeptus
Perpetuum sine morte nomen,

Salve, poësis Romuleae decus,
Dilecte Horati: Pieridum chori
Factus sacerdos non obibis
Nec Stygia rapieris unda.

Jam Daedaleo tutior Icaro
Tu visis almae litora Americae,
Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque campos.

Te doctus Anglus, te cupide legit
Fortis Sygamber, Dacus et ultimi
Noscunt Geloni, te peritus
Discit Hiber Rhodanique potor.

Bis saecla decem non tua carmina
Delevit aetas: spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Pindari et Archilochi Camoenis.

Excelse vates, non ego lauream
qua fulgeat frons nectere sum potens,
Contentus quo celsus adstas
Fulcro hederam imposuisse laudis.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Q. Horatius Flaccus et Aloisius Legionensis

† *Josephus Llobera, S. J.*

I

In hac singulari PALAESTRAE LATINAЕ charta dicendum est mihi, lectores amplissimi, de Q. Horatio Flacco, lyrico poëta, deque Aloisio Legionensi, poëta item lyrico, estque alter cum altero comparandus, «*Romanae fidicen lyrae*», qui monstratus saepe est digito praetereuntium, citharaeque Hispanae princeps, etiam «*digo monstratus inani*» atque «*hedera viridi et redimitus tempora lauro*». ⁽¹⁾

Cum igitur de Horatio breviter dixerim, ea enuncieabo quae ante hos sex annos in commentario «Razón y Fe» conscripsi de forma Aloisii Legionensis Horatiana⁽²⁾, mihique maximo erunt argumento carmina quattuor Aloisiana versibus a me redditia Latina, quibus exteri prae- sertim lectores indolem utriusque poëtae simillimam conferre facile possint. Jam vero cum de Horatio scriptore *Carmi- num* seu odarum agere tantummodo debeam, ejus et *Satiras* et *Epistulas* missas faciam, et loquar de solo poëta lyrico, satiricum atque didacticum tacebo.

Primum quod cernitur in Horatianis *Carminibus*, si recte judicare volumus, novitas est. Quod enim sibi faciendum Q. Horatius statuerat, ut non aliorum vatum Romanorum vestigia sequeretur neve vulgo trita via incederet, sed poëma conderet nova, dico more Graecorum, quo Latina poësis Atticis luminibus illustraretur, quod jam antea in *Satiris* et *Epodis* pulchre nactus erat, idem in

odis exarandis est sane consecutus. Nam primus Venusinus exstitit qui tractandae lyricae poësis rationem sollertia ex Attica in Latium traduceret. Non enim aut Laevius aut Licinius Calvus⁽³⁾ aut alias lyricus quiddam memoria dignum in hoc genere efficerat. Quin ipse Catullus cum Horatio haud conferendus est, cum hujus lyricam pauca sint et ab Horatianis multum discrepent.

Igitur Apulus vates lyricam Graeco- rum poësim in Latium transtulit, Archilo- chum in *Epodis* imitatus, post in *Carmi- nibus* Alcaeum et Sappho et Pindarum pree oculis habuit. Anacreontis, Stesi- hori, Simonidis, Almanis, Bacchilidis poëmata versavit. Quare ipse gloriatur «plus vice simplici», quod dicendus sit «*spiritum Graiae tenuem Camoe- nae Parca non mendax dedit*» C. II, 16. Cf. I, 32, 3; «age, dic Latinum, barbite, carmen, Lesbio primum modulate civi», i. e. Alcaeum; IV, 3, 10: «quae Tibur aquae fertile praefluunt et spissae nemorum co- mae fingent Aeolio carmine nobilem»; IV, 6, 31: «virginum primae puerique claris patribus orti... Lesbium (seu sap- phicum) servate pedem meique pollicis ic- tum»; Epist. I, 19, 23: «Parios ego pri- mus iambo ostendi Latio, numeros ani- mosque (sive metrum et spiritum) secutus Archilochi, non res et agentia verba Ly-

(1) «¿Qué presta a mi contento / Si soy del vano dedo señalado?» «De hiedra y lauro eterno coronado». Vide infraius versionem carminis «¡Qué descansada vida...!». —(2) Cf. «Razón y Fe», 20 de enero de 1929, item *Obras poéticas del Maestro Fr. Luis de León*, t. I, Apéndice IV. Cuenca, 1931, p. 425. —(3) Cf. *Weldert Poetarum Lat. Relliq.* p. 19 seqq.

camben»; Epist. I, 19, 32: «bunc (Alcaeum) ego non alio dictum prius ore Latinum vulgari fidicem». Cur vero in excollenda lyrice poësi adeo feliciter elaboraverit, haec videtur esse potissima ratio, quod suo ipsius ingenio maxime conveniret. Cum enim duo fere genera sint lyrice poësis, alterum grande, magnificum, audax, sublime, ejus vatis proprium «ingenium cui sit, cui mens divinior atque os magna sonaturum» S. I, 4, 43, quale fuit Pindari, alterum lene et temperatum, quod non tam audaciam et pompam requirit quam suavitatem cum quadam majestate conjunctam, in quo Alcaeus imprimis et Sappho praestantissimi fuerunt, illo priore genere saepe reliquo aut declinato, posterius hoc maxime amplexus est, quippe quod ejus indoli potius temperatae quam audaci maxime congrueret. Quod ipse de se confiterur pluribus locis, quos omitto brevitatis gratia, quales sunt C. I, 6, 9 seqq.; II, 1, 37 seqq.; III, 3, 69; IV, 15, 3, 69; IV, 2, 25 sepp.; IV, 15, 3. In his ego locis siue ulla dubitatione confirmaverim poëtam voluisse ingenii sui mediocritatem significare, urbana tamen usum ironia nonnumquam. Nam si quandoque «multa (Romanum) tollit aura cycnum, tendit (o lector), quotiens in altos nubium tractus», saepius tamen «apis Matinae more modoque, grata carpentis thyma per laborem plurimum circa nemus uvidique Tiberis ripas, operosa parvus carmina» finxit. Quae verba etiamsi, ut jacent, poëtae urbanitati vertenda sunt, certe Venusinus altius volare et cautissime temptavit et in plerisque carminibus «auream» potius secutus est «mediocritatem» quam audaciam, dulcedine potius quam majestate praeditus est, jucundior venustorque

quam altus et magnificus, gravior et elegantior quam grandis et sublimis, lenior denique et tranquillior quam vehemens et ardens appetet. Nimirum ultra vires ingenii sui, quas probe noverat, progrederi non est ausus nisi insolentiore animi motu excitatus, provocatus, lassitus.

Propriam igitur indolem consulens eique prospiciens, egregii poëtae partes Latinus lyricus egit. Cui rei addenda est exquisitor argumentorum delectus in poëmatis fingendis. Haec enim potissimum de vita communi desumuntur, sed ita ut accommodatissima sint ad docendum et delectandum, in qua mixtione rerum utilium et dulcium «omne tulit punctum». Modo enim cum amicis jocatur, at urbane semper et Attice, modo sapienter vivendi praecepta tradit illustratque misericorde, temperantiam docet aequitatemque animi et magnitudinem, pietatem in patriam et deos laudibus extollit, nunc detestatur aetatis suae vitia, impietatem, avaritiam, luxuriam, nunc ad caelum effert praeclarissimorum virorum virtutes et facinora, laudesque canit deorum maxime in publica populi Romani laetitia cum grati animi significatione. Semper scriptor sumit materiam viribus aequam suis, postquam diu versavit quid umeri recusent, quid ferre possint, rerum atque hominum rationem diligenter.

At vero non his quae diximus contentus, processit ulterius, carminum enim formam eam effingit quam potuit elegansissimam. Illam breviter admodum attingam, nam hujus scripturae angustiis coactus, ipsam amplificare nullo modo possum. Qua de re generaliter est dicendum Graecorum cum artem rationemque esse imitatum, at non serviliter, polluit enim ea ingenii vena atque pulchritudinis ve-

nus statisque sensu, quibus lyricae poësis vim et gratiam facile perciperet et assequeretur. Itaque et lyricam diictionem inventum et numeros et versus ad Graecorum normam concinnavit, asperiorum adhuc incomptioremque poëticum sermonem ad elegantiam suae aetatis conformavit, quod sibi etiam Catullus, Asinius Pollio, Varius, Vergilius proposuerant. Quare cum haec omnia ipsi invidiā molestiamque a Batio Mevioque, pessimis poëtis peperissent, de quibus Vergilius, *B*, 3, 99:

*Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mevi,
de hoc autem ipse Horatius,
Epop., 10:
Mala soluta navis exit alite,
Ferens olen tem Mevium,
exclamat ad Pis., 53 sepp.:*

*Quid autem
Caecilio Plautoque dabit Romanus,
[ademptum
Vergilio Varioque? Ego cur acquirere
[paucā
Si possum, invideo, cum lingua Ca-
[tonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit?*

Patriam igitur linguam dupliciter Horatius locupletavit, primum ex opibus Latini sermonis propriis, deinde Graecis constructionibus qui Hellenismi a Grammaticis vulgo nominantur, quorum carmina Horatiana plena sunt. Nihil jam dicam de piō et polito orationis colore; nihil de numeris et versibus plane cum materia consentientibus; nihil de traslationum metaphorarumve audacia, quam ingenium atque elegantia moderantur; hoc tamen unum animo advertam, non ab eo mediocriter esse versatum atque ser-

vatum praeceptum illud luculentissimum suae ad Pisones epistulae:

Sit quidvis simplex dumtaxat et unum.

Continet enim unumquodque carmen Horatianum principem sive primariam aliquam sententiam, ad quam tandem aliquando cetera referuntur. Eam autem vestigare mentis oculis non est facile semper, cum aliquando animo commotus illam potius poëtico lumine collustrare videatur et exornare quam aperte ante oculos legentis ponere. Attamen singulae carminis partes ita inter se copulatae conexaeque sunt, ut ad illam declarandam sollerter omnes conspirent. Pindari enim quandoque artem secutus, ab eo quod initio proposuerat digreditur, sententiarum ordinem rerumque seriem liberius commutat, nonnumquam saltu quasi facto medias sententias praetermittit, quae requiri videntur ut magis perspicue carmen intellegatur. Hujusmodi transitiones saltus lyrici non inepte dicuntur, quod lyricorum magis proprii sunt quam ceterorum poëtarum, similitudine desumpta ab eundo in cogitando. Quae cum ita sint, non ea tamen officiunt quominus ejus poëma sit simplex et unum, neque ejus partium juncturam turbant, copulationem impediunt. Sed jam ad ea gressum faciamus, quae magis singulariter ad Horatianam formam attinent.

Est Q. Flacci dos peculiaris usurpatio veri cum fictione conjuncti, quae conjunctio per se ipsa stili Horatiani pars est. Horatius vates est Musarum sacerdos, quem Superi tuentur, quique «carmina non prius audita virginibus puerisque cantat, et vulgus arcet», quem

. . . gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris Æhori
Secernunt populo.

Eum a casu arboris fortuito, a maris tempestate, ab occursu lupi liberat tutela caelestis, quod sit homo sacer. Hinc coniunctio fabulae cum iis quae reapse evenerunt, hinc episodia illa mythologica quibus indulgere solet in poëmatis concinnandis.

Altera qualitas formae Horatianae est usus imaginum, quas poëta usurpat ut et res et sententiae menti inhaereant firmiter. Res abstractas refugit lyricus: apud ipsum tempestas Pater est sive Jupiter, qui «igni corusco nubila dividens per purum tonantes egit equos volucrēaque currum», victoria dea, quae ab alto descendit, «victorem fronde coronat». Verbo, Horatius numquam piator esse desinit: *Ut pictura poësis*.

Ex iis imaginibus oriuntur res singulatim oculis objectae. Si vult poëta locum campestrem ob oculos ponere, quo amici secedunt ut festo die genio indulgeant, ostendit «pinum ingentem albamque populum, umbram hospitalem ramis consociare amantes, fugacemque lympham obliquorivo trepidare laborantem». Praeditus ille est arte pingendi, polletque vi imaginandi, quam pœtæ dicimus, nunc ludicra et petulanti, nunc festiva perque jucunda, quippe quam et ratio et judicium regant et moderentur. Inde illæ antitheses quibus res rebus, sententiae sententiis opponuntur. Quis enim non tenet memoria carmen I. I, quartum, ubi

*Cytherea dños dicit Venus imminentे
[luna,
junctæque Nymphis Gratiae decentes
alterno terram quatiant pede, dum gra-
ves Cyclopum*

Vulcanus ardens urit officinas?

Tertia «vatis Horatii» dos brevitatis est contradiictioque stili, qui paucis multa continet, neque redundat aut diffilit, sed ubertatem coercet verborum, deque iis agit duntaxat quibus est hic locus neque sine ulla ratione ab eo

Lucus et ara Dianaæ

*Et properantis aquae per amoenos am-
[bitus agros,
Aut flumen Rbenum aut pluvius des-
[cribitur arcus;
Semper ad eventum festinat et in me-
[dias res*

Non secus ac notas, auditorem rapit...

Horatius igitur «brevis esse laborat». Quod si aliquando obscurus fieri videatur, non id brevitati est tribuendum, sed poëticæ locutioni potius, nobis reconditæ, qua de causa postulat a nobis diligentem investigationem. Quæ tamen difficultas invenitur etiam in amplioribus scriptoribus, qualis est Vergilius, eo quod Latinus sermo sit pressior quam linguae nostræ recentiores.

Nihil de epithetis dicam, quibus Venustinus luculentissime utitur, quorum usurpatio plena facilitatis est et felicitatis, habeturque quasi dos peculiaris scriptoris *Carminum*.⁽¹⁾

Gloriari igitur merito potuit poëta, suæ sibi conscius virtutis, quod monumentum aere perennius construere primus coepisset, idem ingenii sui felicitate exegerit seu ad finem mirifice perduxerit, consiliumque quod inierat ut Roma Romano imperio digna polleret lyra, sic est executus, ut et aequalibus et posteris suis exemplum reliquerit quod a nullo

(1) Quæ haec sunt de forma Horatiana, sic mirifice Menéndez y Pelayo summatim exponit, eam constituta «en la sobriedad maravillosa, en la rapidez de la idea y concisión de la frase, en la tersura y nitidez en los accidentes, en la calma y serenidad soberana en el espíritu del artista». V. Miguel A. Caro, *Observaciones sobre la poesía horaciana*, en «Horacio en España», t. II, Madrid, 1885, p. 373.

cive suo sit postea non dicam superatum, verum ne ulla quidem ratione aequiparatum. Nam ejus aequales Titius et T. Septimius, de quibus ipse, *Epiſt.* I, 3, 9 et I, 5, 26, aliquie pauci vix nomen nobis, carmina, quod sciamus, nulla reliquerunt. Postera autem aetate nemo poē-

ta lyricus cum Horatio comparandus. Quapropter prudentissime Quintilianus, X, 1, 96: *At lyricorum idem Horatius fere solus legi dignus; nam et insurgit aliquando, et plenus est jucunditatis at gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax.*

II

Sed jam gradum faciamus ad Legionensem, ad eum poētam, cui jam dudum *Horatio Hispano cognomen* est, de quo verbis pauca dicam, multa, credo, carminibus quattuor suis latine a me redditis, quae paulo post in medium proferam. Audacissimo mihi spero fore ut lector benignissime et indulgeat et parcat; intellexi enim brevius mihi iter per exempla quam per doctrinam futurum. Sed prius Bouterweckium audiamus, nonnulla exemplis praepontes. Igitur de Legionensi scriptor Historiae *Poēsis et Eloquentiae in gentibus seu populis recentioribus*: Haud facile est, inquit⁽¹⁾, statuere uter utri anteferendus, num Legionensi Horatius, an Horatio Legionensis. Wetterius autem et Weltius Bouterweckii testimonio nixi, in suo *Dictionario Encyclopaedico Theologiae Catholicae*⁽²⁾ neminem asserunt ex scriptoribus recentioribus magis intime sensum antiquorum perspexisse poētarum, mentem propius attigisse, quam nostratem, neminem hodiernae poēsi proprietates et indolem illorum veterum scriptorum sapientius comunicasse. Noster autem Coll et Vehí, acerrimo vir judicio, addit Magistri Sal-

manticensis carmina aequiperari facile posse eum Horatianis et arte et brevitate dicendi, animi vero motibus praestantiora his illa et puriora habenda esse⁽³⁾

Sicuti Graecos Romanus, sic Latinos et Graecos et Hebraeos Hispanus est imitatus, ex Latinis praeſertim Maronem et Flaccum, ex Graecis Pindarum, ex Hebraeis Jobum et Davidem, quos omnes perbelle Hispane loquentes induxit, quorumque versione facultates auxit stili poēticci in nostris litteris, ut in Latinis Horatius egregie. Sed brevissime formam, de qua diximus, Horatianam, quae naturae beneficio suoque studio vates noster excelluit, exponamus.

Ac primum quod fabulae Horatio tribuerunt, ut rebus sacris profanas extolleret humanasque divinis, id sibi vates Augustinianus longe superius comparavit doctrina et dogmatis santissimae nostre Religionis. En tibi, lector optime, clarum carmen omnibusque numeris ab solutum, quod inscribitur *A todos los Santos*, estque imago perfectissima carminis Hor. I, 12, quem virum aut beroa, non serviliter ex Latino lyrico sed ingenuo admodum expressa:

(1) In opera cit. vol. III, p. 239 seqq., Gottingae, 1804.—(2) Germanice concripto, Gallico autem facta a Gosehler. —
(3) «Elementos de Literatura», Art. Poet., l. II, cap. II, c).

† Jos. Llobera, S. J.

*Quem canam divum procerumve caeli,
Musa, caelestis citharae perita?
An Deum ipsum, quem superum tuetur
Turba stupetque?*

*Cujus aut nomen lyra ad astra tollet,
Ocius terras fugiente sole,
Quo die caelum nitet atque tanto
Milite splendet?*

*Inter has rupes recinetve imago
Vocis, ut vates Epbrataeus olim
Sacrum ad Hermonem gelidumque cantu
Aëra mulsit?*

*Molli ubi flavos hedera capillos
Cinctus, et montem fidibus canoris
Duxit, et fortis rabidum leonem
Vicit et ursum.*

*Quem prius laudem quam Humilemque et
Qui cibo vili vetitoqué vitam [Altum,
Perditam reddens, bominem jacentem
Extulit alte?*

*Par Patri Aeterno parilisque nato
Incolae terrae; tremit Orcus ipsum,
Sol colit, vivunt, meliora facta,
Cuncta per illum.*

*Integer post hunc uterus canetur
Lucis et Mater pelagique fulgens
Sidus horrendi, generisque nostri
Fida Patrona.*

*Spiritus princeps, tua non silebo
Verba nec firmum tumidum in draconem
Pectus; oblitum neque te, paratum
Ferre salutem.*

Fr. Luis de León

¿Qué santo o qué gloriosa
virtud, qué deidad que el cielo admira,
oh Musa poderosa
en la cristiana lira,
diremos entretanto que retira
el sol con presto vuelo
el rayo fugitivo en este día
que hace alarde el cielo
de su caballería?

¿Qué nombre entre estas breñas a porfía
repetirá sonando
la imagen de la voz en la manera
el aire deleitando,
que el Efrateo hiciera
del sacro y fresco Hermón por la ladera?
A do ceñido el oro
cresco con verde hiedra, la montaña
condujo con sonoro
laúd, con fuerza y maña
del oso y del león domó la saña.

¿Pues quién diré primero
que el Alto y que el Humilde, y que la
por el manjar grosero [vida
restituyó perdida,

que al cielo levantó nuestra caída?
Igual al Padre Eterno,
igual al que en la tierra nace y mora,
de quien tiembla el infierno,
a quien el sol adora,

en quien todo el ser vive y se mejora.
Después el vientre entero,
la Madre desta luz será cantada,
clarísimo lucero

en esta mar turbada,
del linaje humanal fiel abogada.
Espíritu divino,
no callaré tu voz, tu pecho opuesto
contra el dragón malino;

*Obrutae numquam ratis o magister,
Ause, te, verbis, mea lingua dicit,
Teque cui nox e tenebris reduxit
Lucida vitam.*

*Quis tuum fletum pretiumque nardi,
Corde converso bene, Magdalena,
Non canet, cujus cumulata odore
Est domus orbis?*

*Quae colis Nilum, rosa lilyumque,
Concino te nunc, sapiensque virgo;
Ex sacro virtus tua lucet alma e
Vertice Sina.*

*Africæ fulmen celebrem? favumne
Romulum? an non Stridonium disertum,
«Aureum os» aut qui merito est ab omni
Gente vocatus?*

*Sidera attingit, rutilans columna,
Major excelsus Basilius astu,
Prae sua Demosthenis baud diserta est
Copia fandi.*

*Crescit, exsurgens velut arbor annis,
Laude Franciscus, micat in recessu
Splendor Antoni velut inter astra
Luna minora.*

*Illa quo fugit, Pater, illa rara
Jam diu virtus? Adyti quis aurum
Diruit? Quisnam sata laeta dumis
Miscuit excors?*

*En ubi picti nituere flores,
Triticum flavum violaeque rubrae,
Carduus regnat, inimica avena
Falsus amicus.*

ni tú en olvido puesto,
que a defender mi vida estás dispuesto.
Osado en la promesa,
barquero de la barca no sumida,
a tí mi voz profesa;
y a tí que la lucida
noche te traspasó de muerte a vida.
¿Quién no dirá tu lloro,
tu bien trocado amor, oh Magdalena,
de tu nardo el tesoro,
de cuyo olor la ajena
casa, la redondez del mundo es llena?
Del Nilo moradora,
tierna flor del saber y de pureza,
de tí yo canto agora,
que de la santa alteza
de Arabia esparce luz tu fortaleza.
¿Diré el rayo Africano?
¿diré el Estridónés sabio, elocuente,
o del panal Romano,
o del que justamente
nombraron «boca de oro» entre la gente?
Coluna ardiente en fuego,
el firme y gran Basilio al cielo toca,
mayor que el miedo y ruego;
y ante su rica boca
la lengua de Demóstenes se apoca.
Cual árbol con los años
la gloria de Francisco sube y crece,
y entre mil ermitaños
el claro Antón parece
luna que en las estrellas resplandece.
¡Ay Padre! ¿y dó se ha ido
aquel raro valor? ¡o qué malvado
el oro ha destruído
de tu templo sagrado?
¿quién cizanó tan mal tu buen sembrado?
Adonde la azucena
lucía y el clavel, do el rojo trigo,
reina agora la avena,
la grama, el enemigo
cardo, la sinjusticia, el falso amigo.

*Flecte jan nobis oculos benignus,
Et tua dextra validus revelle
Turpe, inhumanum, sere trita, recta
Temporis adi.*

*Pectori dona requiem, recotto
Anxia cura in tenebris; ego extra
Carcerem nomenque tuum decusque
Dulcius edam.*

*Dulce solamen! mea non negabo
Ausা majores meruisse poenas;
At magis, quo sunt vitirosa,
Laude fereris.*

Convierte piadoso
tus ojos y nos mira, y con tu mano
arranca poderoso
lo malo y lo tirano,
y planta aquello antiguo, humilde y llano.
Da paz a aqueste pecho,
que hierve con dolor en noche oscura;
que fuera deste estrecho
diré con más dulzura
tu nombre, tu grandeza y hermosura.
No niego, dulce amparo
del alma, que mis males son mayores
que aqueste desamparo;
mas cuanto son peores,
tanto resonarán más tus loores.

De usu autem imaginum, quae pars altera est formae Horatianae, et de fugiendis rebus abstractis et de contrariis opponendis, quid dicam nisi haec omnia in carminibus Legionensis esse valde prae-clara, non minus quam in Venusini? Ad hoc confirmandum satis erit legenti ante oculos ponere odam amico suo Philippo Ruissio dicatam, eam, inquam, quae incipit, «¿Cuándo será que pueda?» quam m.ito idem Coll et Vehí⁽¹⁾ plenam dicit esse rerum sublimium, Martínez de la Rosa⁽²⁾ tot imagines magnificas in ea inesse, tot cogitationes sublimes tamque singulari pulcritudine expressas, ut paucae admodum scriptiones inveniantur, quae possint ei conferri una cum sublimitate ingenuitate ac simplicitate conjuncta.

Et quoniam agitur in hoc poëmate de cognitione qua ipse poëta, vir sapiens-tissimus, praeditus erit in beatis illis caeli sedibus, significabo ipsius verba

usurpans, qua ratione theologus Augustinianus veram absolutamque beatitudinem intellegat. Ipsum igitur audiamus: «Nam his duabus rebus continetur absolute et cumulata beatitudo: Dei contemplatione scilicet et cognitione templi Dei, id autem est universi hujus: quod unum templum est augustinissimum atque maximum. Nam haec naturae rerum cognitio veluti cumulus additur visioni illi contemplationique Dei, in qua proprie ipsa beatitudo consistit».

Igitur has naturae partes atque rationes beati viri in caelesti illa et futura vita cognoscent, eaque ex cognitione capient summam voluptatem. Nam quod aliud puris et bene affectis animis exhibetur gratius spectaculum quam est hoc, quod illis a Deo exhibetur, cum de altissimo et maxime splendido loca caeli in omnis mali experte vita ipsi constituti, non solum videant illa:

*Defectus solis varios lunaeque labores,
Unde tremor terris, qua vi maria alta tumescant*

(1) Elementos de Liter., Art Poét. II, n. 922.—(2) Póttica. anotación al tanto II.

Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa resident;
 Quid tantum Oceano properent se tingere soles
 Hiberni, vel quae tardis mora noctibus obstat:

Sed multo illis majora ac reconditiora cognoscent, causas nimirum omnium rerum et cujusque rei principia interiora atque priora, ipsarumque inter se naturaliarum atque rerum consensiones et dissensiones arcanae, quarum est, ut maxime jucunda causa atque ratio, aliaque

*Quando, Philippe, e carcere corporis
 Caelum valebo scandere fulgidum,
 Verumque purum alto tueri
 Orbe magis fugiente terram?*

*Vitam prope illic, splendida lux ego
 Factus, videobo, conspiciens sinul
 Distincta, quae sunt, quae fuerunt
 Principiumque suum haud apertum.*

*Ilic videobo quomodo Dextera
 Excelsa mundi jecerit arduum
 Fundamen ad libellam, eoque
 Firma sedent elementa terrae.*

*Stantes videobo quas super insidet
 Tellus columnas, signaque limitum
 Queis aestuoso turgidumque
 Provida Mens pelagus coercet:*

*Cur terra motu contremat, aspera
 Ira tumescant cur maria, exeat
 Trux unde ventus, curve crescent
 Oceani et minuantur undae,*

*Atque unde fontes, unde perennibus
 Lympbis alantur flumina, quisve alat
 Labentia, et causas videobo
 Frigoris imbriferi et caloris.*

his similia permulta». Haec enim Legio-nensis.⁽¹⁾

Sed ecce tibi versionem poëmatis de quo superius, in qua unum alterumque versum desumpsi ex P. Thomas Viñas, Sch. P.:⁽²⁾

*¿Cuándo será que pueda
 libre desta prisión volar al cielo,
 Felipe, y en la rueda
 que huye más del suelo
 contemplar la verdad pura sin duelo?*

Allí a mi vida junto
 en luz resplandeciente convertido
 veré distinto y junto
 lo que es y lo que ha sido
 y su principio propio y escondido.

Entonces veré cómo
 la soberana mano echó el cimiento
 tan a nivel y plomo,
 do estable y firme asiento
 posee el pesadísimo elemento.

Veré las inmortales
 columnas do la tierra está fundada,
 las lindes y señales
 con que a la mar hincha
 la Providencia tiene aprisionada.

Por qué tiembla la tierra,
 por qué las hondas mares se embravecen:
 dó sale a mover guerra
 el Cierzo, y por qué crecen
 las aguas del Océano y descrecen:
 de dó manan las fuentes;
 quién ceba y quién bastece de los ríos
 las perpetuas corrientes;
 de los helados fríos
 veré las causas y de los estíos:

(1) Opera, t. I, pp. 137-138, in psalm. XXVI.—(2) Versiones latinas de poesías hispanas, Barcelona, 1927.

*Quisnam supernas aetheris in plaga
Moles aquarum fulciat, et tua
Qua fulminum, Dive, officina,
Area nivis, tonet unde caelum.*

*Cum vere totu n contigit aëra
Turbari in alto, (nonne vides?) dies
Nigrescit, insanitque Caurus,
Atque levis petit astra pulvis.*

*Interque nimbos horrissonum Deus
Currum et coruscum commovet et citum,
Ardente caelum fulget igni,
Terra tremit, pavor alta corda*

*Prosternit, imbres nubibus effluunt,
Effusa manant flumina collibus,
Cassum laborem, undantia arva
Attoniti agricolae intuentur.*

*Ipse altus illinc despiciam vias
Motusque caeli, jam modo concitos
Nunc temperatos insitosque,
Principium indiciumque rerum.*

*Quisnam astra ducat perspiciam quoque,
Quisnam efficaci lumine et aureo
Accendat, ambae cur et Ursae
Sint pelago timidae usque tingi:*

*Qua parte vitae et luminis editor
Sol nutriatur, perpetuo nitens;
Cur praepes bibernus recedat,
Quis teneat tenebris moratum.*

*Immota cernam laetitiae loca
Orbe in supremo, laeta sedilia
Et luce et auro fabricata
Atque animis habitata diis.*

las soberanas aguas
del aire en la región quién las sostiene;
de los rayos las fraguas;
dó los tesoros tiene
de nieve Dios, y el trueno dónde viene.

¿No ves cuando acontece
turbarse el aire todo en el verano?

El día se enegrece,
sopla el Gallego insano,
y sube hasta el cielo el polvo vano;

y entre las nubes mueve
su carro Dios, ligero y reluciente.
horrible son conmueve,
relumbra fuego ardiente,
treme la tierra, humíllase la gente.

La lluvia baña el techo,
inván largos ríos los collados;
su trabajo deshecho,
los campos anegados
miran los labradores espantados.

Y de allí levantado
veré los movimientos celestiales,
ansí el arrebatado
como los naturales,
la causa de los hados, las señales.

Quién rige las estrellas
veré y quién las enciende con hermosas
y eficaces centellas;
por qué están las dos Osas
de bañarse en la mar siempre medrosas.

Veré este fuego eterno,
fuente de vida y luz dó se mantiene;
y por qué en el hiberno
tan presuroso viene,
quién en las noches largas le detiene.

Veré sin movimiento
en la más alta esfera las moradas
del gozo y del contento,
de oro y luz labradas,
de espíritus dichosos habitadas.

Quod ad brevitatem orationis attinet et parsimoniam, difficile est alium poëtam in nostris reperire ita contractum, ita pressum, ita paucis multa complectentem, ut Aloisium Legionensem. Ego vero neminem adhuc legi nisi Franciscum Medranum, qui modo Horatiano Horatium partim reddidit Hispane, ejusque vestigia sic pressit et fixit, ut nisi a Venusino ductus manu pedem efferre aut progredi nescire videatur aut nolit, cui saepe desit proinde imitatio expedita et libera, qualis est Aloisiniana, cuius jam pressus stilus et contractus cerni potest in carmine *Quem canam divum*; quod si cum suo exemplari, mi lector, comparabis, Latini Lyrici brevitatem et senties et degustabis. Aloisius enim fere, ut Q. Flaccus, brevibus utitur strophis, quae amplitudinem luxuriemque dicendi quodammodo coercent et adstringunt. Quod tibi etiam persuasum erit si lustrabis oculis odam alteram *Quando, Philippe, e carcere corporis*, et sequentem, cuius hispane est initium «Recoge ya en el seno», lati-

ne *Condit ager propiam speciem in sua viscera*, quam amico suo Johanni Grialo, S. Scripturae lectori in alma Academia Salmanticensi dicavit, cui etiam donavit tractationem *De utriusque Agni, typici atque veri, immolationis legitimo tempore*, cuius postrema verba haec sunt: «Quae tu, Giale, qui et judicio et doctrina praestas, qualia sint judicabis». In censura autem *Triplicis Explanacionis in Canticum Canticorum* haec habet Grialus in Legionensem: «His explanationibus nihil meo judicio dedit haec aetas neque elegantius». Quam censuram comitantur nonnulla distypha, quibus ipse censor invitat colloquentes in *Canticis* ut lauro poëtam donent:

Nectite certa meo varia de fronte Luso!
Sed bene texetis formoso pollice certa...
Tum ternis lustrate choris, tum dicite
[carmen,
Carmine si possit mergier invidia.

Hoc autem est Aloisii promissum carmen:

Condit ager propiam speciem in sua viscera
Lumine tristitia [ra, caelum
Discutit omne decus pratis, silvasque de-
Exuit et foliis [core
Paulatim; ad lucem Capream jam tendit
Aethera jamque secat [Apollo
Ocior, et perflans Auster densissima caelo
Nubila cogit atrox.
Ultrix Regini vatis grus jam volat alta
Flebiliterque gemit
Rauca sonans, ferro proscindunt arva fe-
Sub juga colla boves. [rentes
Invitat nos ad studium haud ignobile tem-
Famaque ad alta vocat [pus,

Recoge ya en el seno
el campo su hermosura, el cielo aoja
con luz triste el ameno
verdor, y hoja a hoja
las cimas de los árboles despoja.

Ya Febo inclina el paso
al resplandor Egeo; ya del dia
las horas corta escaso;
ya Eolo al mediodía
soplando espesas nubes nos envía.

Ya el ave vengadora
del Ibico navega los nublados,
y con voz ronca llora,
y al yugo el cuello atados
los bueyes van rompiendo los sembrados.

El tiempo nos convida

*Dorsa, Giale, sacri montis, quo scandere
Mentis inops poterit. [nunquam
Incepsum protende gradum bene, vince ca-
Unus et alta tene; [cumen,
Quoque fluit fons largus aquae, purissimus
Care, sitim releva. [undis,
Divitias mirans insanum neglege vulgus
Quod bona fita petit
Auro inhiens, nam Euro magis est levis il-
Et magis illa fugax. [la voluptas
Scribe tibi spirat quod amicus Phoebus, a-
Namque vetusta novus [mice;
Aequiperat stilus et superat; sed me neque
Te prope posse sequi. [crede
Nam mibi, qui insidiis raptus sum et tur-
[bine praeceps
Quique via e media
Ima peto, plectrum fractum est cum peñi-
Pennigerique umeri. [ne amatum*

In postrema, quam brevissime des-
cripsi, dote Horatiani carminis de epithet-
orum delectu praestitit etiam poëta Sal-
manticensis supra quam dici facile potest.
Nolo in re tam aperta immorari. Eam tu

*Ille quam felix bominum tumultus
Qui fugit cautus, sequiturque opertam
Semitam quam qui sapiere pauci
Ante adierunt!*

*Ejus haud peñus ciet intumescens
Principum sors, nec stupet ille teñum
Aureum, struxit sapiens quod Afer,
Fulcit iaspis.*

*Neglegit famam, carit haec acuta
Voce si nomen suum, ad astra mendax*

a los estudios nobles, y la fama,
Grial, a la subida
del sacro monte llama,
do no podrá subir la postrer llama.

Alarga el bien guiado
paso, y la cuesta vence, y solo gana
la cumbre del collado;
y do más pura mana
la fuente, satisfaz tu ardiente gana.

No cures si el perdido
error admira el oro y va sediento
en pos de un bien fingido;
que no ansí vuelta el viento,
cuanto es fugaz y vano aquel contento.

Escribe lo que Febo
te dicta favorable, que lo antiguo
iguala y pasa el nuevo
estilo; y, caro amigo,
no esperes que podré atener contigo.

Que yo de un torbellino
raidor acometido y derrocado
de en medio del camino
al hondo, al plectro amado
y del vuelo las alas he quebrado.

poteris perpendere in versione clarissimae
notissimaeque odiae «¡Qué descansada
vida...!» in qua vita laudatur acta procul
a negotiis hominumque tumultis, quam-
que Latinis versibus ita reddidi:

¡Qué descansada vida
la del que huye el mundanal ruído,
y sigue la escondida
senda por donde han ido
los pocos sabios que en el mundo han

Que no le enturbia el pecho [sido]
de los soberbios grandes el estado,
ni del dorado teñu
se admira, fabricado
del sabio Moro, en jaspes sustentado.

No cura si la fama
canta con voz su nombre pregonera,

*Lingua si id fert quod fugit illa virtus
Nescia fraudis.*

*Quid mea refert digito si inani
Indicor? si aura populari anbelus,
Tristibus curis crucior diuque
Morte dolenda?*

*Dulcis o mons, o fluviusque fonsque!
O loci tuti, placidi! benignos
Vos peto, horrescens maris alta, navi
Heul prope quassa.*

*Condidam lucem facilemque somnum
Liber a curis cupio; superbam et
Nubilam frontem metuo beati aut
Sanguine clari.*

*Suscitent memet volucres, canendi
Dulce non doctae, minime sed illa
Cura quae semper sequitur gravis cui
Imperat alter.*

*Vivere et mecum liceat, bonisque
Perfrui caeli sine teste, soli,
Libero poena, spe, odiis, amore
Invidiaque.*

*Montis ad clivum satus hortus ipsa
Est mea dextra, roseoque flore
Vere pubescens sua poma monstrat
Certa fidelis.*

*Ejus et formam velut intuendi
Fons et augendi cupidus, fugaci
Defluit cursu, properans patent
Vertice collis.*

*Lene mox flectit fugitivus inter
Arbores gressum, viridanti et herba
Hic humum vestit varioque flore
Spargit ubique.*

ni cura si encarama
la lengua lisonjera
lo que condena la verdad sincera.
¿Qué presta a mi contento
si soy del vano dedo señalado?
¿si en busca deseó viento
ando desalentado
con ansias vivas, con mortal cuidado?

¡Oh monte, oh fuente, oh río,
oh secreto seguro deleitoso!
Roto casi el navío
a vuestra almo reposo
huyo de aqueste mar tempestuoso.

Un no rompido sueño,
un día puro, alegre, libre quiero;
no quiero ver el ceño
vanamente severo
de a quien la sangre ensalza o el dinero.

Despiértense las aves
con su cantar sabroso no aprendido;
ni los cuidados graves
de que es siempre seguido
el que al ajeno arbitrio está atenido.

Vivir quiero conmigo,
gozar quiero del bien que debo al cielo
a solas sin testigo,
libre de amor de celo,
de odio, de esperanzas, de recelo.

Del monte en la ladera
por mi mano plantado tengo un huerto,
que con la primavera
de bella flor cubierto
ya muestra en esperanza el fruto cierto.

Y como codiciosa
por ver y acrecentar su hermosura,
desde la cumbre airosa
una fontana pura
hasta llegar corriendo se apresura.

Y luego sosegada
el paso entre los árboles torciendo,
el suelo de pasada
de verdura vistiendo
y con diversas flores va esparciendo.

*Hortus aestiva recreatur aura,
Mulcet et nares odor, arbor ipsa
Flebitur, murmur sonat aure, scaeptri et
Immemor auri.*

*Congerat gazas sibi qui dolosae
Fisis est navi: timidos videre
Non meum fletus, Boreas cum et Eurus
Proelia miscent.*

*Saucia antenna ingemit, atram in umbram
Clara lux transit, vagus atque tristis
Clamor it caelo, pariterque pontum
Munere ditant.*

*Mensa mi pauper tenuisque plena
Pace dilecta satis est: supellex
Aurea illius mare qui superbum
Non timet, esto.*

*Dumque permultos satienda nunquam
Imperi incerti sitis aestuosa
Torquet, herbosa recubans sub umbra
Dulce ego cantem,*

*Accubans umbris, bedera virenti
Vinctus et lauro ad melos insonantis
Aure suspensa sapienter icti
Pollice plectri.*

Ex iis paucis quae ex nostro lyrico excerpsumus, fit illustre ejus poëtis formam esse Horatianae persimilem, poësim ipsam aequalem aut, ut critici nonnulli judicant⁽¹⁾, superiorem.

Superari autem facile ab Hispano Latinum asseri potest sine dubitatione in motibus animi exprimendis, in afflatus,

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fesis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiperas, sed voce, magistrum.

El aire el huerto orea,
y ofrece mil olores al sentido:
los árboles menea
con un manso ruido,
que del oro y del cetro pone olvido.

Ténganse su tesoro
los que de un falso leño se confían;
no es mío ver el lloro
de los que desconfían
cuando el Cierzo y el Ábrego porfían.

La combatida antena
cruje, y en ciega noche el claro día
se torna, al cielo suena
confusa vocería,
y la mar enriquecen a porfía.

A mí una pobrecilla
mesa de amable paz bien abastada
me basta, y la vajilla
de fino oro labrada
sea de quien la mar no teme airada.

Y mientras miserable-
mente se están los otros abrasando
con sed insaciable
del peligroso mando,
tendido yo a la sombra esté cantando.

A la sombra tendido,
de hiedra y lauro eterno coronado,
puesto el atento oído
al son dulce acordado
del plestro sabiamente meneado.

poëticó seu vi lyrica, sive ea oritur ex argumentis, quae tractat poëta, verarum rerum et caelestium, sive ex ratione ingenua pariterque sublimi eorum tractandorum. Quapropter omnibus poëmata pergrata sunt perque jucunda, atque ira perjucunda, ut possimus cum Vergiliiano pastore conclamare⁽²⁾:

(1) V. Fr. Conrado Muñoz Sáenz, *Influencia de los Agustinos en la poesía cust. «La ciudad de Dios»*, vol. XVII, p. 220.

(2) Buc. 5, 45. seqq.

De Q. Horatii Flacci operibus poëticis

Andreas Avenarius, S. V. D.

Post satis longam scribendi intercedinem, qua etiam amicorum quorundam ciebamus admirationem —sed tempus non erat—, cogitare coepi, de qua re initium caperemus. Sed ecce; «Quid opus est deliberatione, inquam, cum in PALAESTRA LATINA mensis Junii Avenarius se ornaturum promiserit commentarium

nostrum elucubratiuncula Horatiana?» Tantum hoc vereor, ne ille Avenarius proferat, quae cum nemini nova sint, minus videantur lepida. Sed Baumgartnerum Jesuitam potissimum secutus narrare institui, quo Horatius ordine eas, quae extant poëses ediderit, et quem industriae ceperit fructum.

I

Q. Horatius Flaccus, libertino patre prognatus, admodum puer Venusia Apuliae Romam adductus est, ut ejus diligenter excoletetur ingenium. Hic Orbilio Pupillo praeceptore, instigante interdum fuste, edidicit Odysseam Livii Andronici. Annos natus undeviginti Athenas profectus litteris Graecis et philosophiae operam dedit. Sic non solum animus philosophorum praeceptis ad usum vitae conformatus est, verum etiam litteratorum consuetudine ad Romanorum ingenuam dignitatem addita est Graecorum gratia. Sed e medio cursu illorum studiorum, interfecito Caesare, contra Antonium et Octavianum Brutum secutus est per Thraciam et Macedoniam. Brutus Horatium adolescentem, cuius ille probabat alacritatem et doctrinam, tribunum militum fecit. Sed cum Bruto ad Philippos

reflavisset fortuna et se summi exercitus duces ipsi interfecissent, pars militum se vistori dediderunt, pars fugerunt, in his Horatius. Paulo post, qui fugerant, proposita a triumviris rei impunitate, in Italiam plerique atque Romam remigraverunt. Etiam Horatius laborioso itinere Romanum venit. Ibi interim mortuus erat pater, nullis relictis facultatibus, Venusinum praedium assignatione agrorum amissum erat, nulla jam mentio erat ejus quem gesserat tribunatus. Amor urbis in qua primum animus puerilibus disciplinis eruditus erat, Horatium Romae retinuit exspectantem, uter triumvirum, Antonius an Octavianus, nam Lepidi minor auctoritas erat, superior esset discessurus, suspicantem fortasse Octavianum divino nomine destinari servatorem imperii et restitutorem civilis ordinis et litterarum.

II

Principio ut viatum compararet apud aerarium publicum scriptum quaestorium fecit. Tum temporis temptare coepit Musam:

... paupertas impulit audax
Ut versus facerem (Epist. 2, 51).
 In lucem prodierunt primae saturae et epodi, anno a. Ch. n. 38. Quae cum

probarentur celeberrimis urbis poëtis Vergilio et Vario, ab his commendatus est Maecenati, magno illi bonarum artium fautori et patrono, qui Horatio anno 33 praedium donavit in montibus Sabinis. Circiter annum 30 novae saturae secutae sunt, omnino octo. Deinde Horatius plausu incitatus eorum qui de poëtica facultate ejus judicare possent, imitari coepit lyricalia metra Graecorum. Septem fere annis elaboravit tres priores libros carminum. Deinde reversus ad hexametrum scribere coepit epistles poeticas. Et scripserat viginti, in his ad Maecenatem duas. Cum ipse Augustus cuperet sibi id genus opus inscribi, Horatius ei exponit, quid de poësi sentiret universa. Accedens similis de litteraria occupa-

tione ad Florum epistula et epistula ad Pisones, faciunt librum alterum epistularum, qui editus est circiter annum decimum. Anno 17 jussus ab Augusto scripsit carmen saeculare. Et quas praeterea per occasionem fecerat odas quarto lyrorum libro collectas edidit.

Hoc igitur ordine prodierunt Horatianae poëses.

SATURAE decem (*sic est prior saturarum liber*) anno 38,

SATURAE octo, posterior liber anno 30,

EPODON liber eodem fere tempore,

LYRICORUM libri tres anno 23,

CARMEN SAECULARE anno 17,

LYRICORUM liber quartus anno 13,

EPISTULARUM libri duo circiter annum 10.

III

Sed jam accipe, quid de singulis generibus judicent prudentes. Horatius coepit scribere saturas imitatus Lucilium, qui ei videbatur homo facetus doctusque, sed parum in ornando diligens. Hoc igitur ei propositum erat, ut, quae suarum saturarum argumenta delegisset his meliorem quam Lucilius daret formam. Et tamen poëtae nomen se his versibus mereri negat ipse:

«neque si quis uti nos», scribat
«Sermoni propiora putas bunc esse poëtam».

Et vere hi sermones *macanis*⁽¹⁾ Hariri vel hodiernis elucubrationibus, quae «feuilletons» dicuntur similliores sunt, quam majori poësi. Quam etiam jejunus parcusque visus sit Horatius, qui pro triginta saturarum libris Lucilii, qui tum

extabant edidisset prius decem, post omnino octo! Sed qui leget hos pedestrium argumentorum sermones, poëtam fuisse deprehendet hominem natura praeditum perspicacissima, quem nihil rerum humanarum fugiat. Nam illis paucis saturis tibi amplectitur totam fere vitam urbanam et rusticam, litteras et artes res publicas privatasque et suas cum hominibus omnium necessitudines. Quidquid denique in sermonem cadere potest, his saturis tangitur, praeterquam provinciam politicam. Nam consulto declinat, quibus refricari posse viderentur cicatrices, extimulari cupiditates parum etiam tum extictae. Sed omnibus se locis saturarum poëta se præbet hominem mentis bene sanae, hilarem, perfacetum. Non adeo

(1) Macani voce Arabicæ sunt consessus vel confabulationes. Sunt autem poëses genus, quod non ad strictum metro, sed plenum homocœleutis, permiscetur poëmatis et aenigmatis et est quasi quaedam lascivientis rhetorices palaestra. Hac arte in primis floruit Hariri, cuius vita continetur annis 1054 et 1122.

philosophus, quae sint caelestia relinquit in medio, terrestria prudenter moderatur. Quas videt vitae reſte instituendae rationes parum firmo ſtant illi fundamento, et illorum temporum corruptio nonnullis locis saturarum et ceterorum carminum ita nuda promerget, ut omnia tuto in manus aduleſcentulorum dari non poſſint. Rurſum qui his poēmatis sermocinatur non modo rerum humanarum peritissimum ſe offert, qui etiam cum summis viris conversari ſciat, qui calleat conſuetudines militum, artificum, agricolarum, nobilium, ſed doctum quoque ſe hominem probat litteris Graecis et Latinis, memorem poētarum priorum, poētici apparatus ita potentem, ut ante eum neminem. Ipsiſ sermonibus ſcribendis linguam et formam augens saturam fecit artificium; proscripta metri varietate hexametrum retinens huic generi licentiam Lucilii legitima adſtrinxit forma. Multis locis saturarum et epistolaram facile agnoscas poētam notantem vitae humanae pugnas, crebro tangentem amoenitates naturae, etiam ad majus pleſtrum idoneum eſſe. Et hoc quidem judicat Alexander Baumgartner S. J. ſacerdos in eo opere quod de monumentis litterarum totius mundi edidit. Operae pretrum eſt cognoscere, quod judicium ſcripsit duobus saeculis ante in «Bibliotheca rhetorum» Gabriel Franciscus Le Jay, ejusdem ordinis ſodalis: «Plenae ſunt tam ipsius saturae, quam epistolae documentis egregiis, quibus virtutum omnium et moratae vitae fundamenta continentur. Regnat ubique amoenitas et urbanitas quaedam, quibus saturae acerbitatem temperat ſic, ut monendo placeat et ridendo caſtiget. Nemo aulicus tam comis et in aucupanda principum gratia ſolers,

in fabulis facetus, festivus in praeceptiōibus, in rebus maxime ſeriis admirabili lepore ſemper et acuto sale conditus. Reprehenderunt in eo quidam simplicitatem ſtili et nimiam in ſcribendo negligentiam. At id ipsum affectasse viſus eſt, dum ſaturas suas sermones inscripsit, quaſi nihil a familiari ſermone diſferrent, neque propter elucubrata ejusmodi poēmata referendum ſe inter poētas censuit... Ceterum vel in pedeſtri ſermone quem ſectatus eſt tam fuit cultor diligens Latinae puritatis, ut ad eam nullus accedeſtit.»

Etiam in epodis eſt poēta linguae et formae potens. Hoc genere Archilochum imitatus eſt, ſententiis tamen minus acerbis. Sunt autem omnino septemdecim carmina, quorum nonnulla Catullianis ſordibus foedata diſplicent. In plurimis homo eſt ſana mente et jucunda alacritate. Cum ſaturaे tribuiffet hexametrum, in epodis primum trimetrum iambicum alternis ſequente iambico bimetro adhuiuit, ex qua vicissitudine versuum horum carminum cognomen exſtitit, quoniam epodus eſt brevior ille versus, qui longiori quaſi accinitur. Postea etiam alia metra assumens hoc ſtudebat, ut ſermonem Latinum, firmum illum quidem, ſed parum flexibilem, Graecorum modis appetaret. Et hoc ille primo, ut diximus praefitit, in epodis.

Tum elegantiores Sapphus ſtrophas et Alcaei et Anacreontis Latinae poēſi vindicare coepit, et tanta arte ad Romanorum linguam tranſtulit, ut exemplorum ſtructuram, elegantias, numeros non modo aequiperaverit, verum etiam illa Graecorum carmina, quae praeter pauca interierunt, posteritati quodammodo repreſentaverit. Et erat ſibi Horatius

conscious rem propositam feliciter successisse. Itaque prima oda ipse lyricis se vatibus inserit, oda tertia libri quarti se musarum amores pangit, oda postrema hujus collectionis prioris gloriatur monumentum se exigisse aere perennius. Neque minus fidenter in quarto libro, quem edidit decem annis post tres priores, pollicetur de consequente se gloria:

Romae principis urbium

Dignatur suboles inter amabiles

Vatum ponere me dhoros,

Et jam dente minus mordeor in-
[vido. (4. 3.)]

Quem tum practereuntes digitis monstrabant Romanae fidicen lyrae, postremo carmine gloriam istam Musae attribuit et gratias agit Caesari Augusto, per quem et vitae cultus et artes revixissent. Eodem carmen saeculare spectat. Horatius ceteros antiquorum temporum lymphaticos praecedit multitudine rerum et conformatioe orationis. Praestent nonnulli hoc vel illo genere. Raro noster magnitudinem attingit Pindari: sed interdum habet Horatius, quae frustra quaeras in Pindaro, et cum ceteris Graecis, quorum pauca extant fragmenta ne comparari quidem potest.

I V

Ex multis Horatii carminibus tamquam ex speculo elucet, qualis animus fuerit contemplantis vicissitudinem anni temporum vel inconstantiam rerum, frumentis casu laetiore aliquo, vel solitudine ruris, amoenitate naturae, festiva celebrazione. Nos pueri saepe calentes labore interpretandi cavillabamur nihil Horatium pangere, nisi vini potationem et amores puellarum. Sed non juste nos quidem. Nam illa vini cantica non tam plena sunt Bacchi, quam Alcaci vel Anacreontis, et multo sunt festiviora. Hic suadentur pocula, cum mutantur tempora anni, cum dies festi subeunt privatae vitae vel publicae, cum proficiscuntur vel reverterent amici, cum nuntiatae victoriae sunt, cum res superioris vitae postulavit. Non facile nascitur in arido poësis: sic Horatius calice temperato nonnunquam humectare oportuit amici ineptias. Nunquam in his poculis effusa regnat libido bibendi, sed vina jucundiores faciunt convivii consessus. Quae

Maecenati et quae Virgilio inscribuntur odae, perpetua erunt monumenta verae amicitiae. Amoribus autem, quibus alii poëtae, quibus Catullus propemodum solis ingenium consecraverunt, Horatius ne quartam quidem partem assignavit. Pleraque horum non inhoneste scripta, ludus poëticus potius videntur esse, quam impetus animi. Si non sequitur in hac re sensum Christianum, qui fuerit ante Christum, tamen abhorret ab illa morum perversitate, quae jam tum temporis subruebat familias, subruebat pudicum amorem et omnino verecundiam. Quam ille hanc libidinosam licentiam insecatitur illa praeclara oda sexti libri tertii, cuius initium est:

Delicata majorum immeritus lues
Romane...

Profecto qui hominem festivum novabit, nunquam contendet morum censorum fuisse Flaccum. Si tamen oratione acerrima invehitur in istam lasciviam, qua erat prudentia praeditus nativa, in-

tellegebat hoc malo serius ocius interitum populi Romani robur, ruituram mollem imperii, et laudi tribuendum Horatio est, quod homo vere Romanus ausus est exitium praedicere. Si non et ipse ad majora ascendit, causam praecipuam recte putaveris fuisse, quod neglecta religione patria, receptis peregrinis moribus et vitae cultu, introductis perniciosis philosophorum doctrinis, Epicureorum maxime et eorum, qui a nobis nominantur sceptici, mirum quantum opiniones hominum confundebantur. Horatius et ipse scepticus «parcus deorum cultor et infrequens» sentiebat, quantum interesset ad servandum populum Romanum, servari deorum cultum; itaque non semel dis antiquis in carminibus honorem tribuit. Immo credas ut Ciceronem sic Horatium suspicatum esse unum esse aliquod numen supremum, cum legis quibus ille verbis pinxit majestatem Jovis:

...Scimus ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes regnaque tristia
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequa. (3. 4.)

Non ille Ovidianus fuit «tenerorum lusor amorum». Horatio amores ars fuit. Ars poëtica illi lux erat et gaudium vitae: ars poëtica eum ex ignobilitate generis ad familiaritates principum virorum sublevaverat, haec ei suppeditabat, in quibus digne occuparet ingenium, haec ei mundum illustriorem faciebat, haec eum in vitae humanae casibus consolabatur. Hunc musae amorem fuisse verum appareret ex odis, quibus Musam affatur, et hoc amore longe praecedit illos lusores amorum, poëtas eroticos.

Idem si quibusdam locis negat se, levioris vitae vatem, laudes canere velle Augusti, cavendum, ne ad verbum accipiantur eae voces. Nam duodeviginti odis gloria celebratur Augusti, gloria urbis. In illis sunt illae sex longissimae, artificiosissimae, elatissimae Romanorum odae, lyricae poëseos gemmae, quas non dubites componere Pindaro. Si minus sint canorae, magis sunt perspicuae, et magis presse fusae. Non hic equi, non beati equorum possessores laudantur, sed resurgent majestate rei, qua nulla in orbe extitit major, antiquae Romae evectae ad fastigium gloriae.

V

Hic accipe quae de praestantia Horatii lyrica proponit, quem supra commemoravimus Le Jay. «Neminem habuit», inquit, «inter Latinos, quem imitaretur, neminem qui ipsum imitando sit assecutus. Hoc testatur Quintilianus, qui Horatium fere solum esse dignum, qui legi possit, profiteri non dubitat. Nam, inquit, et insurgit aliquando, plenus est jucunditatis et gratiae, et variis figuris et ver-

bis felicissime audax. Is enimvero sic omnem lyricae poëseos laudem et gloriam complexus est, ut cum in odarum suarum libris nihil ad absoluti operis perfectionem desiderandum, tum nihil vel severiori criticae reprehendendum reliquerit. Dices virtutes omnes lyrici carminis quasi factò agmine ad ornandam Horatii musam confluxisse: tam felix ac varius in argumentis, tam solers

in illis tractandis ac magnificus, tam gravis in sententiis, tam moratus in documentis videri solet, adeo maiestatem carminis cum lepore rerum, gravitatem cum risu et joco puritatem sermonis cum elegantia conjungit sic, ut Graecorum poëtarum nemini cedere dicendus sit. Eos certe, qui inter Graecos maxime floruerunt, Sappho quidem et Anacreontem, suavitate et gratia spectabiles, Pindarum vere sublimitate commendatum, non modo aequasse omnium paene criticorum judicio visus est. Liceat hic addere ad Horatii commendationem Julii Scaligeri judicium, qui duarum in primis odarum, quarum altera sic incipit: «Quem tu Melpomene semel» (4. 3.) altera: «Donec eram gratus tibi» (3. 9.) ita suavitate capiebatur, ut diceret: «Quarum similes malim a me compositas quam Pythioniarum multas Pindari et Nemeonicarum. Quarum similes malim composuisse quam esse totius Tarragonensis rex.

Non tamen Horatio contigit, ut plebi Romanae universae præfaceret operosae lyrae suae artem. Non pauci literati homines sui poëmatis assentationem vulgi captabant, vulgus malebat laudare et legere poëtas antiquos, Plautum, Tentium, Caecilium, Naevium, Ennium, Livium Andronicum. Vulgo odae Horatii nugae putabantur, quibus nemo magnus poëta esset: copiosiore plectro celebraret Caesarem Augustum. Ridebat has imperitorum voces Horatius, sed

paulatim a lyrico genere recessit, qui etiam in carminibus parcus, diligens, accuratus fuisse. Pauca post annum aetatis quadragesimum composita carmina, sed ad hexametrum revertit et ad sermones, quibus deinceps formam dedit epistulae. Sed ne hujus quidem generis prodigus prius viginti poëmata edidit, posse duo cum epistula Pisonum. Pauca igitur opera, si numerum spectas, sed arte absoluta adeo, ut hae epistolae similium operum ad haec usque tempora exempla manserint. Sunt autem vel verae epistulae, vel occasionis poëmata, vel commendationes, vel philosophiae ejus munera. Sunt fabulationes metricae, sed in quibus singulis singula vel plura carmina lyrica deprehendas condita salibus et facete dictis. Duabus postremis prioris libri elucubrationibus Maccenati et Libro suo inscriptis ipse, quid de litterarum sui temporis statu judicet, et qualis ipse fuerit, posteris aperit: suo merito factum esse, ut varietas formarum Graecarum transferretur Romam, se fuisse corporis exigui, praecanum, solibus aptum, irasci celerem tamen ut placabilis esset.

Posterioris libri epistulae literariae dici solent quibus agnoscimus, quae fuerit condicio literarum illo tempore, et quae doctrina poëtica omnis. Certe epistula Pisonum nihil in eo genere plenius est, breviarium haec est intelligentiae artium.

VI

Talis fuit Horatius, talis est Horatiana poësis. Usque ad finem saeculi duodevicesimi inconcussa stetit Horatii gloria: fuisse unum ex maximis lyricis

omnium temporum. Ex tanto gradu detrudi coepitus est, ex quo preferri coepit est poësis Graeca, ex quo philologorum labor singula fere verba Horatii ad

Graeca exempla reducere conatus est, ex quo levior poësis popularis anteponi consuevit viliori poësi artificiose.

At numquam vera Horatii gloria interbit. Romani certe summum esse lyricum suum existimantes, vixdum mortuum in ludum puerorum introduxerunt, in scholis stetit humanitatis ad hanc aetatem, amicus mansit non paucorum viorum post scholae annos. Nemo poëta aliis doctis viris toties est in ore, quoties Romanae fidicen lyrae. «Animae dimidium meae», «Tu ne quaesieris», «Dulce et decorum est pro patria mori», «Quid agis, dulcissime, rerum», «Aequam memento rebus in arduis servare mentem», «Hinc illae lacrimae», «Sunt certi denique fines» sescenta alia id genus mutuari solemus ab Horatio et fontis fartasse ignari. Erat cuidam ex condiscipulis meis consuetudinaria vox: «Tutus bos etenim rura perambulat». Etiam hodie cantatur illud «Integer vitae scelerisque purus», et hodie multi interpretantur vel explicant opera Horatii.

Si haec scholarum consuetudo magnitudinem et auctoritatem Horatii testatur, quid? illud quanti faciendum putabimus, quod hunc ducem secuti sunt ad unum omnes lyrae Latinae moderatores reliqui? Fatetur se didicisse ab Horatio ille, cui jure Germanorum Horatio inditum cognomen est, Jacobus Balde Alsata; fatetur Casimirus Sarbievius Polonus; fatetur Johannes Santolius Parisiensis, fatentur tot alii veteres et recentes lyrici sibi ad Parnassum praeisse Horatium. Quo etiam magis dolendum reor hos poëtas lingua et poëtica conformatioe coryphaeo illi pares aut suppare, rerum magnitudine longe illo superiores, in loculamentis vel in arcis majorum bibliothecarum computrescant, non committantur manibus nostris et studiosae juventuti, quia non sunt, qui Horatio non defuit, Maecenates, quorum largitionibus illa opera imitatorum Horatii denuo mandentur typis. Haec Flacci anniversaria illos imprimis digne celebrare censeo, qui operum suorum esse statuant suis nobis facultatibus copiam facere horum Horatii imitatorum.

VII

Sed antequam finem facio dicendum esse videtur, ubi Horatius carmina elaboraverit sua. Maecenatis, ut diximus, liberalitate anno 33 adeptus in Sabinis finibus praedium, plurimum vixit in suo praedio, aut Tibure, ubi Maecenati domus erat, Horatio, ut videtur, conduicta habitatio, aut Romae, in colle Esquilino, ubi parvam domum habebat non longe ab aedibus sitam fautoris sui. Interdum curandae valetudinis causa bali-

neas adiit, Bajas praeter ceteras. A Maecenate traditus Augusto est, qui eum plurimi faciebat, et saepe invitavit, ut Romae esset, ut aliquod apud se delegeret munus, postremo ut scriba privatus esset; sed nullis condicionibus rure suo dimotus est. Valetudine haud ita firma jam dudum afflictatus mortuus est anno aetatis quinquagesimo septimo prope modum completo, V. Kal. Dec. anno ante Chr. n. octavo.

Horatii vestigia in Prudentio

Henricus Martija, C. M. F.

Facturusne operaे pretium essem, ut Titi Livii verbis utar, de Venusino poëta si scripsisseм, nec satis sciebam nec, si scivisseм, dicere ausus essem; quippe qui, quot et quam docti viri pluribus vel libellis vel plenis voluminibus, cum summatim de Horatii vita, ingenio, poësi, tum de singulorum poëматum indole singillatim disse ruissent, non ignorarem. Animum tamen induxi disputare de Horatii vestigiis in Prudentio, sive de Prudentio Horatii imitatore, quo utriusque poëtae pagani et Christiani ingenium poëticum et propria virtus clarius appareat. Haud parvum influxum exercuit Horatius in scriptores, maxime poëtas, qui posterioribus saeculis in unaquaque natione floruere.⁽¹⁾ Sed inter poëtas antiquitatis Romanae quos Horatium evolvisse et in commodum suum vertisse appetet, unus omnium ceteris praestare videtur Prudentius, adeo ut a Bentleio Horatii commentatore appelletur *perpetuus nostri imitator, magnus imitator Flacci, Christianorum Maro et Flaccus.*⁽²⁾

Aurelii Prudentii Clementis nomen egregium et poëticas facultates, neminem ex lectoribus ignorare arbitror. Nobili genere natus Caesaraugustae vel Calagurri, non enim est apud historicos consensus⁽³⁾, Flavio Philippo et Fl. Salia Coss. (a. 348 p. Ch.), experrecti ingenii et ad omnia summa natum mature se probavit. Nam brevi e rhetorum scholis egressus, in primis dicendi peritus, declamatoris exercitationibus totum se dedit. Bis provinciae, forsan Tarragonensi, praefuit et ad aliud munus militare honorificentissimum a Theodosio Imperatore est evenctus, ut ipse fatetur:

*Tandem militiae gradu
Evectum pietas principis extulit,
Adsumptum propius stare volens ordine proximo*

(Praefat. v. 19-21)

Romam veniens, martyrum cineres veneratus est, quorum gesta dein carminibus celebravit. *Nix capit is*, ut ipse pulcre narrat (*Praefatio* v. 27), eum monuit ut ab aula se abdicaret, rebusque divinis animaeque saluti impensis vacaret. Quo anno obierit non liquet.

Anno circiter 405 carmina sua collegit ediditque, praemissa Praefatione poëtica, qua paucis vitam suam delineat et argumentum operum designat (v. 34-42):

(1) Cf. **Showermann**. *Horace and his influence*. Boston, 1932. **Menéndez Pelayo**. *Horacio en España*, Madrid, 1883 (Colección de Escritores Castellanos, t. XXIII). **Curcio**. *Quinto Orazio Flacco studiato in Italia dal se. XIII al XVIII*. Catania, 1923.—(2) **Bentley**, *ad Hor. Carm. II, 15, etc.*—(3) **Tonna, Barthet**. *Aurelio Prudencio Clemente. Estudio biográfico crítico* (La Ciudad de Dios, t., 58, 59).

*Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat:
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
Hymnis continuet dies
Nec nox ulla vacet quin Dominum canat:*
(Cathemerinon liber)
*Pugnet contra haereses, catholicam discutiat fidem,
(Poëmata didactica. Apotheosis, etc.)
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis
(Psichomachia. Contra Symmachum)
Carmen martyribus devoveat, laudet Apostolos.*
(Peristephanon liber)

Prudentium «poëtarum Christianorum principem, unum vere poëtam lyricum post Horatium et ante Dantem»⁽¹⁾, lectione et imitatione classicorum, Horatii praecipue, multum profecisse constat. «Nullum enim fuit penitus, ait Bruno Coloniensis,⁽²⁾ studiorum liberalium genus in omni Graeca vel Latina eloquentia, quod ingenii sui vivacitatem aufugeret».

Dicemus primum de arte metrica Prudentii cum Horatiana comparata; deinde de aliquibus locis in quibus Prudentius Horatium pre oculis habuerit.

I

In arte Prudentii metrica nonnulla Horatii vestigia reperire possumus, cum potenti fecunditate ingenii Prudentiani conjuncta. Transacto Augusti saeculo, metrica Latina quasi aliquid vietum erat, et Horatii traditio poëtica penitus deperdita videbatur. Postiores poëtae solummodo versibus jam evulgatis utebantur, ut hexametro dactylico, pentametro, iambico trimetro, hendecasyllabo. Strophae Aeolianae in Statii *Silvis* et in choris tragediarum Senecae inveniuntur, multis tamen admixtis licentias.

Aliunde poëtae Christiani, populi eruditionem praecipue intendentates, rythmos quaerebant populares. S. Ambrosius et Hilarius dimetro iambico utuntur,⁽³⁾ Paulinus Nolanus sapphicis etiam strophis congaudet. At ingenium poëticum Prudentii manebat Horatianam traditionem suscitare novisque metris augere. Et quemadmodum Venusinus metra a poëtis Graecis usurpata indoli sermonis Latini, Romanaeque aptavit proprietati, novisque etiam versus invenit, ut sap-

(1) Menéndez Pelayo, *Heterodoxos*, II, p. 20.—(2) Cit. ab Arévalo, *prol. Edit.* p. 209, Romae, 1788.—(3) Quartuor tantum hymnos ut vere genuinos hodierna critica tribuit Sto. Ambrosio: *Aeternae rerum Conditor, Deus creator omnium. Jam surgit hora tertia, Deus Redemptor gentium.*

phicum majorem et iambelegum: idem de poëta Hispano dicendum, qui poësim lyricam Romae suscitat, ab Horatio multa metra desumit, suis temporibus accomodans, ingenii divate vena alias versum species adinvenit.

Ecce metra ab Horatio mutuata:

Hexametrum $\text{--} \ddot{\text{u}} \text{u} | \text{--} \ddot{\text{u}} \text{u} | \text{--} \ddot{\text{u}} \text{u} | \text{--} \ddot{\text{u}} \text{u} | - \text{u} \text{u} | --$ adhibitum in carminibus epicis-didacticis.

Iambicum trimetrum $\ddot{\text{u}} \text{--} | \text{u} \text{--} | \ddot{\text{u}} \text{--} | \text{u} \text{--} | \ddot{\text{u}} \text{--} | \text{u} \text{--}$ (Cathemerinon, VII, Peristephanon X, etc.)

Iambicum dimetrum $\ddot{\text{u}} \text{--} | \text{u} \text{--} | \ddot{\text{u}} \text{--} | \text{u} \text{--}$ (Cath. I, II, IX, XII; Per. II, V)

Iambicum Dim. Catalecticum $\ddot{\text{u}} \text{--} | \text{u} \text{--} | \ddot{\text{u}} \text{--} | -$ (Cath. VI).

Asclepiadeum minus $-- | - \text{u} \text{u} | - \| - \text{u} \text{u} | - \text{u} \text{u}$ (Cath. V).

Glyconeum $-- | - \text{u} \text{u} | - \text{u} \text{u}$ (Perist. VII).

Archilochium majus $\text{--} \ddot{\text{u}} \text{u} | \text{--} \ddot{\text{u}} \text{u} | \text{--} \ddot{\text{u}} \text{u} | - \text{u} \text{u} | - \text{u} | - \text{u} | - \text{u}$ (Perist. XIII).

Alcaicum $\text{u} \text{--} | \text{u} \text{--} | - | - \text{u} \text{u} | - \text{u} \text{u}$ (Perist. XIV).

Notatu dignum est omnes hos versus separatis exhibitos esse a Prudentio, strophis scilicet monocolis, in quo ab Horatio differt, qui alias aliis admixtos usurpavit. Invenimus etiam in Prudentio praeter hendecasyllabum Catullianum (Cath. IV), tria metra ejusdem propria, saltem apud classicos non inventa:

Trochaicum tetrametrum catalecticum:

$- \text{u} | - \ddot{\text{u}} | \text{u} | - \ddot{\text{u}} | | - \text{u} | - \ddot{\text{u}} | - \text{u} | -$

quod postea in poësi rythmica religiosa maximum locum habuit, spreta tamen syllabarum quantitate, et accentu rythmico servato:

Scripta sunt caelo duorum | martyrum vocabula.

Aureis quae Christus illic | adnotavit litteris

(Per. I, 1, 2; cf. Cath. IX)

Dactylicum dimetrum catalecticum $- \text{u} \text{u} | - \text{u} \text{u} | - \text{u} \text{u} | -$

Germine nobilis Eulalia

Mortis et indole nobilior (Per. III, 1, 2, cfr. Cath. III).

Anapestum dimetrum catalecticum $\text{u} \text{u} \text{--} | \text{u} \text{u} \text{--} | \text{u} \text{u} \text{--} | -$

Deus ignee, fons animarum,

Duo qui socians elementa... (Cath. X, 1, 2).

Systemata seu strophae mixtae Horatianae occurunt in Prudentio quae sequuntur:

Systema Pythiambicum alterum, quod constat hexametro heroico et iambico trimetro:

Historiam pictura refert, quae tradita libris

Veram vetusti temporis servat fidem (Per. IX, 19, 20)

Sapphicum prius, tribus sapphicis minoribus et adonico:

Plena magnorum domus Angelorum

Non timet mundi fragilis ruinam,

Tot sinu gestans simul offerenda

Munera Christo

(Per. IV, 5-8)

Iambicum, trimetro et dimetro iambico:

Est vera secta? te magister, consulo,

Rectamne servamus fidem?

An viperina non cavemus dogmata

Et nescientes labimur?

(Apoth. Praef. II)

Archilochium quartum, constans archilochio majore et trimetro iambico catalecticō:

Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,

Pauli atque Petri nobilis cruore (Per. XII, 3-4)

Hipponacteum, constans dimetro trochaico et trimetro iambico, utroque catalecticō:

Inmolat Deo Patri,

Pius, fidelis, innocens, pudicus,

Dona conscientiae

Quibus beata mens abundat intus (Epilogus, 1-4)

In Praefatione ad opera omnia Prudentius systema tristicum adhibet, elementis Horatianis coalescens, sc. glyconeō, asclepiadeo minore et majore:

Bis legum moderamine

Frenos nobilium reximus urbium;

Jus civile bonis reddidimus, terruimus reos (Praef. 16-18)

Prudentius ubicumque metris utitur Horatianis, ejusdem Horatii sequitur traditionem, sive in basi spondaica metrorum lyricorum, sive in caesurarum regularitate. «Jam vero, ait Müller, cum Graeci lyrici in basi versuum glyconeorum, pherecrateorum, asclepiadeorum, cum trochaeo principali promiscue adhibuissent spondeum, iambum, pyrrichium, et voluissent primam et quintam syllabam alcaicorum quartamque sapphicorum ancipitem sive, ut veteres dixerunt, communem, Horatius omnia firmata spondeis sub severiore legem revocavit. Praeterea cum idem caesuras, quae longioribus versibus undecim syllabarum sive plurium, a paucissimis et vix dignis memoria exemplis si recesseris, semper voluit adesse incisionem fixam certamque». ⁽¹⁾ Sic in glyconeō basis in utroque poēta ubique spondaica. (Cf. Perist. VII). Horatius (Carm. I, 15, 36) habet: *ignis Ilia-*
cas domos, sed vix recte, ut notat Wollmer. ⁽²⁾ In asclepiadeo etiam

(1) Müller, *De Metris Horatianis* (in edit. minore, p. VII, Teubner).—(2) Wollmer, in edit. majore. *Conspedus metrorum*, p. 335.—(3) Schiller, *Metres lyriques d'Horace*, p. 71, Paris, 1883.

semper. (Cf. Cath. V. Hor. Carm. I, 1, etc.) In alcaico fere semper in Horatio. (Cf. tamen Carm. I, 39, 9) *prémant Calena falce quibus dedit Fortuna vitem*, et id. 17, *frūi paratis et valido mihi*; in Prudentio semper, cf. Perist. XIV, *Passio Btae. Agnetis*.

In producta caesura alcaica poëta Hispanus etiam cum Horatio convenit. In Venusino caesura brevis rarissime occurrit,⁽³⁾ et in hujus modi exemplis, ut notat Bergman,⁽⁴⁾ agitur de *t* aut *r*, quae litterae (lege a Ritschl et Fleckeisen stabilita), antiquitus longae erant, praecedente vocali longa. Ita Ennius: *Quae nunc te coquit et versat in pectore fixa*; et etiam: *Noenum (non enim) rumores ponebat ante salutem*.⁽⁵⁾ In Prudentio duo exempla reperiuntur caesurae brevis: Perist. XIV, 9 *Mortis deinde gloria liberae*. (Id. 91), *Exutus inde spiritus emicat*. Haec exempla regulae generali non obsistunt, quia in mente poëtae re quidem vera cesurae longae sunt; siquidem «apud Prudentium longa fit syllaba metrica, duabus consonis sequentibus, etiamsi consonae in sequenti verbo sint»,⁽⁶⁾ quod in allatis exemplis accidit.

At de Horatii in metricam Prudentianam influxu satis est superque dictum. Ad ulteriora veniamus.

II

Si Prudentii carmina attente legerimus, hoc statim luce clarius apparebit, poëtam Christianum Venusini poëmata diligenter evoluisse, ejusque textum in conscribendis carminibus prae oculis habuisse. Commentatores utriusque poëtae hanc Prudentii ab Horatio dependentiam notarunt. Obbarius⁽⁷⁾: «Ceterum Prudentius poëtas veteres, Vergilium, Horatium, Juvenalem, alios saepius ante oculos habuisse constat». Hertzius⁽⁸⁾: «Interim hoc constat, a Prudentio per pleraque carmina Horatii rationem habitam esse». Jam igitur Prudentii editores Horatium, Horatii editores Prudentium ad partes vocaverunt, sed nullus ita ut diligentiam peculiarem imitationi Prudentianae adcuratius investigandae impenderet, praeter Hermanum Breidt⁽⁶⁾, cuius tamen investigationes incertis fulciuntur fundamentis, quia ejus tempore nondum bene cognitus erat genuinus Prudentii textus. Postquam vero Johannes Bergman consilio et auctoritate Academiae Vindobonensis commentarium scripsit *De codicis Prudentianorum generibus et virtute* (Vindobonnae, 1908), et praecipue postquam idem editionem critice definitivam instruxit,⁽⁷⁾ tuto in investigatione procedere licet.

(1) Bergman, *Quaest. Horat. Ad Hor. Carm. III, 5, 17* (Acta et Comment. Univ. Dorpat. 1921).—(2) Ennius, cit. a Cicerone, *Cato Major de Senect.* 1 et 4 (Aschendorffs Klassiker-Ausgaben, Münster, 1928).—(3) Müller, *De re metrica poetatarum latinorum*, p. 164, Lipsiae, 1894.—(4) Obbarius, *Edit. Prudent. XVI*, Tubingae 1845.—(5) Hertzius, *Analecta ad Carm. Hor. Historiam* (Index lectionum in Univ. Vratisl. per acutatem 1880 habendarum, IV, p. 27).—(6) Breidt, *De A. Prudentio Clemente Horatii imitatore*, Heidelbergae, 1887.—(7) Bergman, *Aurelii Prudentii Clementis Opera* (Corpus Script. Ecc. Latinorum, t. 6x) Vindobonnae, 1926.—De Codicibus cl. Proleg. in edit., II; Mommsen, *Carmen Codicis Parisini 8084* (Hermes, IV, p. 352 sq.)

Ecce duo antiquissimi codices quibus J. Bergman editionem Prudentii criticam illustravit: *Codex Parisinus*, (vulgo *Puteanus*) qui in Bibliotheca Nationali Parisina asservatur, n.^o 8084 manuscriptorum Latinorum signatus, et saec. VI exaratus; decus est et ornamentum illustrissimae illius Bibliothecae. Alter codex est *Ambrosianus*, saeculo VII exaratus in monasterio Bobiensi, ut videtur, et in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi (lat. D 36) asservatus. Ambo codices mutili sunt, sed major pars operum Prudentii in iis invenitur. Ad compleendas Parisini et Ambrosiani lacunas, Bergman adhibet aliorum codicium auctoritatem, «quae, ait, magni aestimanda est». Hujusmodi sunt: *Cantabrigiensis*, Colleg. Corporis Christi, (n.^o 223, s. IX), *Dunelmensis* (Bibl. Cathedr. B. 49, s. X). *Vaticanus* (Reg. 392, s. X) et alter *Parisinus* (Bibl. Nat. lat. 8035, s. X).

Sequentes Prudentii textus cum Horatianis parenthesi inclusis conferantur:

Cathemerinon, III, 158, *Impavidas lupus inter oves
Tristis obambulat.*

(*Hor. Carm. III. 18, 13.* «*Inter audaces lupus errat agnos*»).

Cath. V. 1, 4, *Inventor rutili, dux bone, luminis
Lucem redde tuis, Christe, fidelibus.*

(*Hor. Carm. IV, 5, 5.* «*Lucem redde tuae, dux bone patriae*»)

Id. v. 51. *. . . ille volantia*

Praefigit calamis spicula Gnostiis

(*Hor. Carm. I, 5, 17* «. . . calami spicula Gnosti
Vitabis»).

Apoth. 390. *O nomen praedulce, mihi lux et decus et spes
Praesidiumque meum.*

(*Hor. Carm. I, 1, 20,* «*O et praesidium et dulce decus meum*»).

id. 952. *Est operaे pretium nebulosi dogmatis umbram
Prodere.*

(*Hor. Sat. IV, 4, 63,* «*Est operaе pretium pernoscere...*»)

Peristeph. III, 152-153. *Crinis odoros et in jugulos
Fluxerat involitans umeris.*

(*Hor. Carm. IV, 10, 3.* «*Et quae nunc umeris involitant... comae*»)

Contra Symm. II, 389 *. . . metuenda pericula vitet.*

(*Hor. Epist. II, 1, 136,* «*metuenda pericula petent.*»)

Peristeph. X, 505 *Carnis voluptas omne per nefas ruit.*

(*Hor. Carm. I, 9, 23,* «*Gens humana ruit per vetitum nefas*»)

Prudentium carmina Venusini prae oculis habuisse adeo patet, ut ex lectione poëtae Christiani ad veram et genuinam Horatii lectio nem saepius venerint commentatores;⁽¹⁾ praesertim cum codices Pru-

1) Bergman, *Quæst. Horat.* p. 4 (Acta et Comment. Univ. Dorpat. 1921).



dentiani Parisinus 8084 et Ambrosianus D. 36 multo sint antiquiores codicibus Horatianis (*Bernensi* 363, *Vaticano Reg.* 1703, *Parisino* 10310, saec. IX).

Aliqua lectoribus exempla praebeamus:

Hor. Carm. I, 3, 19, *Qui vidit mare turgidum.*

Editiones Blandini, Cruquii et Mülleri habent *turbidum*, sed editio critica Vollmeri *turgidum*, quae lectio confirmatur Prud. Perist. V, 467: «*Quae turgidum quondam mare
Gradiente Christo straveras.*»

Hor. Carm. I, 34, 35 . . . *nunc retrorsum*

*Vela dare atque iterare cursus
Cogor relectos.*

Heinsius et Bentley legunt *relectos*. Nunc Prudentium audiamus, Apoth. 108:

«. . . perque atavos cursum *relegente vetustos*.»

Hor. Carm. III, 23-9-12

*Nam quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices
Aut crescit Albanis in herbis
Victima Pontificum securis
Cervice tinguit.*

Omnes codices afferunt *securis*, praeter Harleianum 2725 (saec. IX); variae conjecturae auctorum *securim*. Hujusmodi correctores fallebantur, perperam intelligentes *securis* pro nominativo singulari, cum sit accusativus pluralis; *securis* (Vollmer), *secures* (Müller).

Nunc vero cf. Prud. Apoth. 460

«*Pontificum festis ferienda securibus illic
Agmina vaccarum steterant...*»

Exempla supersunt; sed ne longius hoc studium protrahatur, finem hic facio scribendi exoptans cum cl. Laurentio Riber,⁽¹⁾ ut Horatius Christianus ad aulas Hispanas a quibus tam injuste exulat, cum honore quem in aureis saeculis habuit, revertatur. De Prudentio enim praecipue cogitabat magnus ille Lud. Vives, cum in *Epist. de ratione studii puerilis*⁽²⁾ scriptum reliquit: «Sunt et Christiani poëtae quos jucundum fructuosumque erit legere... qui multis in locis possint cum quovis veterum certare, elegantia carminis dico, nam rebus tanto sunt superiores quantum bona malis praestant, humanis divina.»

(1) **Riber:** *El Poeta Aurelio Prudencio en las Aulas* (El Debate, 16 sept. 1935).—(2) **Vives.** *Opera omnia*, t. I, p. 269, Valentiae, 1782.

Trium Horatii Carminum

POETICA INTERPRETATIO

Romanus Ríos, O. S. B.

*in Lyceo Ramsgatensi, prope Londinum, in Anglia,
Græcarum Litterarum Professor*

Romanus Ríos, O. S. B.

Más sosegado vivirás, Licinio,
si ni te arrojas en los altos mares,
ni, de borrascas temeroso, apenas
dejas las costas.

Quien va buscando un áurea medianía
próvido evita sórdidos tugurios;
evita sobrio aulas suntuosas,
fuente de envidias.

Al pino esbelto más enfurecidos
vientos azotan; con más ruido caen
las altas torres, y al excelso monte
hieren los rayos.

Teme en el gozo, y en la pena espera
nueva fortuna el pecho equilibrado;
que el mismo Júpiter manda los inviernos
y él los ahuyenta.

No porque ahora mal te vaya, siempre
será lo mismo; a la callada musa
despierta Apolo alguna vez, y el arco
no siempre tiende.

En los apuros muéstrate animoso,
muéstrate fuerte; las hinchadas velas
juicioso amaina, si excesivos vientos
buenos la empujan.

Horatii carm. II, 10

*Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo neque, dum procellas
Cantus borrescis, nimium premendo
Litus iniquum.*

*Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus teidi, caret invidenda
Sobrius aula.*

*Saepius ventis agitatur ingens
Pinus et celsae graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulgura montes.*

*Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus. Informes biemes reducit
Iuppiter, idem*

*Sobmovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit: quondam citbara tacentem
Suscitat Musam neque semper arcum
Tenait Apollo.*

*Rebus angustis animosos atque
Fortis adpare: sapienter idem
Contrabes vento nimium secundo
Turgida vela.*

Romanus Ríos, O. S. B.

Levanté un monumento
perenne, más que el bronce,
Más alto que en real sitio
las excelsas pirámides;
Que ni voraces lluvias,
ni el ábrego impotente
Destruir nunca puedan;
y ni la innumerable
Serie de luengos años,
ni el huir de los tiempos.
No todo moriré;
de mi ser mucha parte
Burlará a Lilitina.
En fama iré medrando
Con loor siempre nuevo
en futuras edades,
Mientras el Capitolio
con la callada virgen
Para los sacros ritos
el pontífice escale.
Yo, célebre de humilde,
seré siempre alabado
Porque a la estrofa itálica
el verso colio traje;
Donde Aufido violento
desahoga sus iras,
Y Dauno, el pobre en aguas,
reinó en pueblos salvajes.
Sufre, ilustre Melpómene,
mi orgullo bien legítimo,
Adquirido con méritos
de asiduidad constante,
Y complacida ciñe
con el lauro de Delfos
Mis sienes inmortales.

Horatii carmina III, 30

Exegi monumentum
aere perennius
Regalique situ
pyramidum altius,
Quod non imber edax,
non aquilo impotens
Possit diruere
aut innumerabilis
Annorum series
et fuga temporum.
Non omnis moriar
multaque pars mei
Vitabit Lilitinam;
usque ego postera
Crescam laude recens,
dum Capitolium
Scandet cum tacita
virgine pontifex.
Dicar, qua violens
obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae
Daunus agrestium
Regnavit populorum,
ex humili potens,
Princeps Aeolium
carmen ad Italos
Deduxisse modos.
Sume superbiam
Quaesitam meritis
et mibi Delphica
Lauro cinge volens,
Melpomene, comam.

Romanus Ríos, O. S. B.

Feliz aquel, que, lejos de negocios
 Como la gente antigua,
 Libre de toda usura, con sus bueyes
 Su heredad se cultiva.
 Ni, soldado, el clarín fiero despiértale,
 Ni tiembla en mar bravía;
 Y el foro y los umbrales suntuosos
 De los grandes evita.
 Bien entrelaza con los altos álamos
 Las vides ya crecidas
 Y los ramos inútiles podando
 Les presta nueva vida;
 O bien otea la vacada errante
 Por la olmeda escondida.
 Ya la exprimida miel en límpias ánforas
 Recoge, o sus ovejas ya trasquila;
 O ya, cuando el otoño ufano eleva
 Su cabeza lucida
 Por encima del campo, coronada
 Con frutas exquisitas
 ¡Cómo goza al coger las injertadas
 Peras de dulce almíbar
 Y los racimos de uvas, que aventajan
 A la púrpura misma—
 Y a tí, Priapo, al darlas, y a Silvano,
 Al que guarda las viñas!...
 Recuéstase sobre el tupido césped
 O bajo añosa encina,
 Mientras bajan las aguas de altos montes
 Y quéjanse las aves en la umbría,
 E invitan al reposo murmurando
 Las fuentes saltarinas.
 Mas, al invierno, cuando airado Júpiter
 Lluvias y nieve envía
 Acosa acá y allá a los jabalíes
 Con copiosa jauría
 Hacia las recias mallas; o suspende
 En la ligera horquilla
 La red que engaña a los glotones tordos
 Ve en el lazo cogidas
 Tímidas liebres y extranjeras grullas
 Cual grata recompensa a sus fatigas.
 ¿Quién del amor no olvida con todo ello
 Las apremiantes cuitas?...

Horatii Ep. II

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fenore,
Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores insertit,
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves;
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pira
Certantem et uvam purpureae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnō quod invitet leves.
At cum tonantis annus bibernus Jovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres binc et binc multa cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pavidumque leporem et advenam laqueo
[gruem]

Pues... ¿qué, si de la casa y dulces hijos
 La honesta mujer cuida—
 Cual del ágil pullés la esposa, negra
 Del sol, cual la sabina?...
 Al llegar el marido fatigado
 El sacro hogar de seca leña atiza;
 En los setos el hato alegre encierra
 Para ordeñar las ubres bien henchidas;
 Del tonel saca el vino añejo, y pone
 La mesa con las más sanas comidas.
 Causarme no podrían más deleite
 Ni las ostras Lucrinas
 Ni mero o rodaballo, si furiosa
 Tempestad levantina
 De invierno, a nuestro mar los arrojare;
 Ni el ave peregrina
 Africana, ni el francolín de Jonia
 Más gusto me darían
 A mi vientre al bajar, que la aceituna
 De las ramas cogida
 Cargadas del olivo; o la acedera
 Por el prado esparcida;
 O las malvas del campo que al enfermo
 Son grata medicina;
 O la tierna cordera degollada
 En los festivos terminales días,
 O el cabrito del cruel lobo arrancado
 A la carnicería.
 Y mientras como, cuánto el ver alegrame
 Las ovejas solícitas
 Que vuelven al redil ya repastadas;
 Cuál los bueyes caminan
 Arrastrando la esteva del arado
 Con lentitud cansina;
 Ver en torno a la llar resplandeciente
 Cómo trabaja aérea
 La multitud de esclavos, el enjambre
 de las mansiones ricas.
 Así se habla el buen Alfio, el usurero,
 Y ya de labrador quiere hacer vida;
 Todo el dinero a medio mes recoge...
 Y en préstamo lo da a los quince días!...

Quis non malarum, quas amor curas ba-
 [bet,
Haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli,
Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus lactum pecus
Distenta siccat ubera,
Et bona dulci vina promens dolio
Dapes inemptas adparet:
Non me Lucrina juverint conchylia
Magisve rhombus aut scari,
Siquos Eois intonata fluctibus
Hiemps ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem
 [meum,
Non attagen Ionicus
Jucundior quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum
Aut herba lapatti prata amantis et gravi
Malvae salubres corpori
Vel agna festis caesa Terminalibus
Vel baedus creptus lupa.
Has inter epulas ut juvat pastas oves
Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares,
Haec ubi locutus fenerator Alfius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem redegit idibus pecuniam,
Quaerit kalendis ponere.

QUINTI HORATII FLACCI

CARMEN SAECULARE

Josephus Jiménez, C. M. F.

Magna viget sententiarum disparitas in judicio de indeole et virtutibus Carminis Saecularis Horatiani: alii enim exiguum, eximium alii monumentum, aere perennius, reputarunt. Doeringius, ait Steiner⁽¹⁾, carmen saeculare (C. S.) praestantissimis adnumeravit carminibus Horatianis; Mitscherlichius hoc divinae artis opus in pretiosissimis totius antiquitatis monumentis ponendum esse sibi persuasit; Braunhardus splendidissimum illud dixisse carmen non satis habuit, sed quasi divino quodam spiritu adflatus; e recentioribus vero clmum. Villenueve adferam cui C. S. opus princeps est in poëtica religiosa Horatiana⁽²⁾.

Contra Eichstadius: vix ullum — inquit — poëma legi, Augusteo aevo compositum, in quo tanta esset sententiarum jejunitas, tanta compositionis inconcinnitas, quanta laborare mihi videtur celebrissimum illud Horatii Carmen Saeculare. Godofridus autem Hermannus hoc carmen aut ab Horatio invitis Camenis conditum aut a nebulone nescio quo suppositum esse suspicatur. Quibus inter recentes addi potest Alexander Aureli⁽³⁾ cuius sunt haec verba:... totus hymnus novitate inventi caret..., multa sunt demisse expressa...; plura sunt quae demi possunt, multa sunt in quibus, non bonus Homerus sed bonus Horatius alto somno dormitat.

Quae cum ita sint, fieri non potest quin tritum illud proverbium in mentem revocemus «medium tenuere beati». Sed priusquam stropharum singularum commentarium incipimus, nonnulla de occasione, finibus, dispositione praemittenda censuimus.

Cum Augustus ab Actio Epiri promontorio, superato Antonio, recessisset victor ludos scaenicos Romae celebravit in honorem Apollinis et Dianaee

*tempore sacro,
quo Sibyllini monuere versus
virgines lectas puerosque castos
dis, quibus septem placuere colles,
dicere carmen.*

Tunc Horatius ab Augusto rogatus *carmen saeculare* dictum composuit ut in ipso marmoreo ludorum commentario anno MDCCCXC Romae effosso constat

CARMEN COMPOSUIT Q. HORATIUS FLACCUS⁽⁴⁾

atque hoc maxime intendens ut praincipia religionis numina, Apollo et Diana, precibus colerentur ac celebrarentur et fausta futuri temporis omina ederentur⁽⁵⁾. Acti sunt ludi saeculares Augusti, C. Furnio

(1) Steiner, *De Horatii carmine saeculari* Kreuznach 1847; p. 1 — (2) Villenueve, *Horace*, t. I. Paris, Les Belles Lettres, 1927: Chant séculaire, pp. 185-188; «Par la belle simplicité de l'ordénance, par la sobriété ferme et élégante du style, par la profondeur grave du sentiment patriotique, c'est sans doute son chef-d'œuvre dans la poésie religieuse» Introd. XXXIX. — (3) Alma Roma, 1934, p 150 — (4) C. I. L. 32.323: Commetaria Lud. Saecularium vs. 49. — (5) F. Ritter, *Horatii carmina* (Vol. I) commentario critico, historico et exegetico illustrata. Lipsiae, W. Engelmann, 1854: Carm. Saec.

C. Junio Silano Coss, anno ab U. C. DCCXXXVII (ante Ch. N. XVII) aetatis Horatii XLVIII, eorumque memoria nummis et monumentis conservatur. De ipsis agit copiose Zosimus II 4-6, Censorinus, *De die natali*, 17; breviter referunt Cassius Dio LIV 18, et Suetonius in Aug. 31.

Sunt qui non tantum C. S., sed tria carmina ab Horatio composita atque singulis tribus diebus ludorum saecularium decantata esse defendunt. Ita e. g. Urbanus Campos qui hac ratione carmina distribuit: Die primo carmen *Dive quem proles*, Od. IV, 6, ab initio ad versum 29 «*Spiritum Phoebus mihi*»; altero die, «*Dianam tenerae*» I. 21; tertio die carmen saeculare cum fine carminis «*Dive quem proles*» a v. 29⁽¹⁾. Praeterea P. Sanadon C. S. fragmentum reputat cujusdam magni carminis, cuius prologus esset «*Odi profanum vulgus*» (Od. III, I 1-4), pars prima «*Dive quem proles*» (Od. IV-V, 1-28), pars altera «*Dianam tenerae*» (Od. I, XVIII), pars tertia «*Phoebe silvarumque*» (C. S.), epilogus «*Spiritum Phoebus mihi*» (Od. IV, V, 19-44)⁽²⁾. Sed haec doctrina solido fundamento caret. Nec desunt qui unitatem carminis saecularis rejiciunt, quod tribus partibus inter se diversas dividant, quam sententiam Cl. Gagé rejiciendam habuit⁽³⁾.

Placet e contra doctrina E. Stampini⁽⁴⁾ juxta quem ipse Horatius ante chorum virginum puerorumque stans carmen profert piaculare atque eucharisticum «*Dive quem proles*» et postea chorus C. S. «*docilis modorum vatis Horati*» reddidit

De ordine et modo exsecutionis C. S. disputant auctores, maxime postquam anno 1890 reliquiae marmoreae sunt repertae ubi sculptum erat:

(147) SACRIFICIOQUE PERFECTO PUERI XXVII QUIBUS DENUNTIATUM ERAT PATRIMI ET
PUELLAE TOTIDEM

(148) CARMEN CECINERUNT: EODEMQUE MODO IN CAPITOLIO⁽⁵⁾;
sed nos cum J. Gagé et Villeneuve⁽⁶⁾ doctrinam duplicitis integrae exsecutionis omnino probamus, necnon rationem seu dispositionem
quam tradit Steiner⁽⁷⁾.

Stropha 1 et 2 (*proodus*) juncti pueri et puellae

Str. 3 pueri—4 puellae

5 pueri—6 puellae
7 pueri—8 puellae

Str. 9 (*mesodus*)
vs. 1 et 2 pueri, 3 et 4 puellae

Str. 16-19 (*epodus*)
juncti pueri et puellae

Str. 10 pueri—11 puellae

12 pueri—13 puellae
14 pueri—15 puellae

Unde patet C. S. in numero carminum amoebaeorum esse reponendum, idque XIX saphicis strophis componi, quarum interpretationem incipiemos, proposita lectione Latina editionis majoris Fr. Volmer⁽⁸⁾ atque versione Hispanica Patris Llobera, S. J., quam generose adhuc vivus tradiderat evulgandam.

(1) U. Campos, *Horacio Español*. Madrid, 1783: Canción secular, p. 414.—(2) A. Waltz, *Oeuvres d'Horace*. Paris, Garnier, 1887: Chant Séc. p. 224.—(3) J. Gagé, *Recherches sur les jeux séculaires*. Paris, Les Belles Lettres, 1934, p. 26.—(4) E. Stampini, *Il carme saecolare di Orazio*. Torino, G. Chiantore, 1928, p. 36.—(5) C. I. L. 32 323, vs. 147 148.—(6) Villeneuve, *Horace*, Paris, I. c.: «Je suis, quant à moi porté à admettre qu'il y eut deux auditions de l'hymne entier».—(7) Steiner, *Ibidem*, p. 5; Frank, *The carmen saeculare of Horace* Cf American Journal of Philology, 1921, pp. 324-329.—(8) *Horatii Carmina rec. Fr. Vollmer*. Lipsiae in aedibus B. G. Teubner, MCMXII.

PUERI ET PUELLAE SIMUL

I

*Phoebe silvarumque potens diana
lucidum caeli decus, o colendi
semper et culti, date quae precamur
tempore sacro,*

*Febo y tú Diana, que en los bosques reinas,
del cielo antorcas, adorables siempre,
siempre adorados, escuchad los ruegos
en estas fiestas,*

Phoebe: idem ac postea Alme Sol = Apollo, deus solis, lucis et musicæ. — Diana: filia Jovis et Latonæ in eodem cum Apolline partu. Dicitur etiam Lucina, Luna, Proserpina, cet. — silvarumque: notetur haec feminea caesura, quae in tribus odarum libris vix invenitur, in quarto vero et in C. S. saepius adparet, In C. S. Hanc femineam caesuram invenies etiam in vv. 1, 14, 18, 19, 35, 39, 43, 51, 53, 54, 55, 58, 59, 61, 62, 70, 73, 74. — potens: adpositum Dianaæ ut: «Sic te diva potens Cypri...» (1). — lucidum caeli decus: displicet Hermanno hoc loquendi genus,

*....; sed improvisa leti
vis rapuit rapietque gentes (5)*

*Quo nihil majus meliusve terris
fata donavere bonique divi.
nec dabunt. (6)*

Prima dicte mihi, summa dicende Camoena (7)

Culti, quia cultus Apollinis et Dianaæ multiplex fuit et longe lateque difusus præsertim in Graecia et Asia: hinc tempa et oracula Milenati, Lesbi, Antiochiae, Romae, Cajetae, Formiis, Gabilis,

*quo Sybillini monuere versus
virgines lectas puerosque castos
dis, quibus septem placuere colles,
dicere carmen.*

*en que los versos sibilinos mandan
que niños castos y escogidas niñas
los dioses canten que los siete montes
siempre estimaron.*

pro quo dicendum fuerat, alt. «lucida caeli decoræ»; ita enim Horatius (2), Castorem et Pollucem plurali numero «lucida sidera» appellat; at postea (3), «clarum Tyndaridae sidus» ulla sine hesitatione scribit. Atque revera nomen adpositum casu tantum concordat, minime genere aut numero; unde dicere potuit Ovidius (4): «Quid meruere boves, animal sine fruade dolisque?». — o colendi semper et culti: quibusdam tritum quid ac vulgare haec locutio videtur; sed hunc loquendi modum Latinis poëtis placet atque in primis Horatio nostro:

cet. Celebriora fuere templum et oraculum Delphorum, Clari, Thebarum cet., Romae aedes Palatina ab Augusto eretæ, cuius erat cultum Apollinis fovere utpote qui Apollinis filius habitus est (8).

(1) Cfr. Od. I, 3, 1. —(2) Od. I, 3, 2. —(3) Od. IV, 8, 32. —(4) Ovid. Metam. 15, 120. —(5) HORAT. Od. II, 13, 20. —(6) HORAT. Oda. IV, 2, 38. —(7) HORAT. Epist. I, 1, 1. —(8) Surr. Octav. Caesar Aug. 94.

Apollinis cognitio Romae inde a Tarquinii temporibus fuit ut tradit Livius I, 56 et V, 15; Verg. Aen. VI, 36.—Colendi: Dianam enim idem ac Lunam, Apollinem idem ac Solem in omnibus ethniciis populis historia cultos esse probat et colendos ratio aliquo modo suadet; ut nempe Luna rore nocturno calorem Solis temperet, Sol vero humiditatem Lunae ad generationem terrae accendat, atque hac ratione fruges proveniant omniaque gignentur atque accrescant. —tempore sacro: festis diebus, qui decimo quoque anno atque centesimo magna sollemnitate peragi solebant. —Sibyllini versus: h. e. libri. In antiquis annalibus memoria super libris Sibyllinis haec profida est, quam tradit Gellius, Noct. Att. I, 19. «Anus hospita atque incognita ad Tarquinium Superbum regem adiit novem libros ferens, quos esse dicebat divina oracula; eos velle venundare... Mulier nimium atque immensum poposcit; rex derisit. Tum illa tres libros ex novem demit et ecquid reliquos sex eodem pretio emere vellet regem interrogavit. Sed Tarquinius id multo magis risit. Mulier ibidem statim tres alios libros exussit atque id ipsum de novo placide rogat ut tres reliquos libros eodem illo pretio emat. Tarquinius ore jam serio atque attentiore animo fit..., libros tres reliquos mercatur nihil minore pretio quam quod erat premium pro omnibus. Sed jam mulierem tunc a Tarquinio dicens postea nusquam loci risam constitit. Libri tres sacrarium conditi Sibyllini appellati; ad eos quasi ad oraculum quindecimviri adeunt, cum di immortales publi-

III. PUERI

Alme Sol, curru nitido diem qui
promis et celas aliasque et idem
nasceris, possis nihil urbe Roma
visere majus.

Almo sol, tú que en reluciente carro
muestras el día, sin mudar mudando,
y el día ocultas, superior a Roma
nada ver puedes.

ce censulendi sunt» (1). —virgines lactes puerosque castos: Pueri requirebantur numero ter novem praetextati, nobiles, patrimi et matrimi totidemque puellae atque ejusdem generis qui seorsim diis Urbis carmina concinerent; quod constat ex monumento Lud. Saec. vs. 147: «sacrificioque perfecto pueri (X) XVIII quibus denuntiatum erat patrimi et matrimi et puellae totidem carmen cecinerunt». Idemque testatur Zosimus (2, 5): τρις ἐννέα παιδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων ὄμνους ἔδουσι. Atque hoc quid sacram et ab antiquitus religiose in pompis sollemnibus servatum uti declarat Livius: «Carmen, ait, praeterea ab ter novenis virginibus cani per urbem jusserunt donumque Junoni reginac ferris» (a. U. C. XXXI, 12) «tum septem et viginti virgines, longam induitae vestem, carmen in Junonem Reginam canentes ibant» (a. U. C. XXVII, 37). —Dis: omnibus nempe diis a populo Romano quocumque cultis; tamen preces Apollini et Dianae media toribus et «salutis auguribus» directe fundebantur (2). —septem placuere colles: Aventinus, Capitolinus, Celius, Esquillinus, Palatinus, Quirinalis, Viminalis. Qua re septicollis Roma est appellata. Additi postea duo, Vaticanus et Janiculus. —monuere... virgines... dicere carmen: rectius sane dixisset: monuere ut virgines lactae puerique casti carmen dicerent dis quibus...

In carminis proodo tum pueri tum
puellae universe dixerunt: «date quae
precamur». Jam singuli chori singulas
certasque suscipiunt preces.

IV. PUELLAE

Rite maturos aperire partus
lenis, Ilithyia, tuere matres,
sive tu Lucina probas vocari
seu Genitalis:

Blanda Ilitia, por las madres mira,
tú blanda siempre en los maduros partos
ora Lucina apellidarte quieras,
o Alumbradora:

(1) Cfr. etiam Plin. Nat. Hist. XIII, 13 (27). —(2) Cfr. Tibullum II, 5, vv. 11-15.

Alme Sol: almus est adjectivum poetum significans id quod vitam vel nutrit vel quoquomodo praebet aut tuerit. Itaque de diis dicitur qui vitam victumque dare hominibus creduntur. — promis et celas: aperis diem oriens, claudis recedens. — aliusque et idem nasceris: antithesis poetica, quae diverse ab auctoribus explicatur. Torrentius haec habet: «alius videri potest vel quia alio cottidie loco oritur, vel quia non semper eodem vultu vel quia oriens lucem, occidens tenebras fert vel ob vicissitudinem temporum, cum tamen unus idemque nunquam ipse mutetur» (1). Scholia Antiqua Porphyronis «ad illud videtur retulisse, ajunt, quod idem quidem sol renovans diem, aliis esse videtur» (2). Cervantes imitatem Horatii dixerim cum ait: «O perpetuo descubridor de los antípodas... tú que siempre sales y aunque lo parece nunca te pones» (3). — magus urbe Roma: Est enim Roma, quae origines suas consecravit et ad deos retulit auctores» (4). Atque «non sine causa dii hominesque hunc urbis condendae locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipientur, mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium ex-

ternarum, regionem Italiae medium, ad incrementum urbis natum unice locum» (5). Roma fuit praeterea «lux orbis terrarum et arx omnium gentium» (6); «cul par est nihil et nihil secundum» (7) et «tantum inter caput extulit urbes, quantum lenta solent inter viburna cupressi» (8). «Omnia, ergo, Romanae cedent miracula terrae. Natura hic posuit quidquid ubique est» (9). — rite maturos aperire: Cur, iterrogat Ritter (op. c.) a magnitudine Urbis ad Dianam parturientibus lenem transitur? Quia ut feliciter proveniat curavit Illyria. Hanc precari puellas mox matrum munere functuras, minime pueros liquet. Adverbium «rite» alli cum adjetivo maturos alli vero cum verbo aperire rectius conjungunt, in quo illud adverbium magis quam in adjetivo requiritur: *aperire partus: detegere, in lucem edere, proferre.* Ordo est: *Illyria, tu quae lenis es rite profert maturos partus. — Illyria: a Graeca voce significante venio, orior: quod Invocata veniat in subsidium parientium: i. e. ac Diana, Juno Lucina, Luna, Genitalis. Illyria vox est quattuor syllabarum ut patet in hoc versu, sed hoc fit ope synaeresi: cum i graecum vocalis semper sit, numquam consona: e. g. i-o-ni-cus, i-am-bus. Ovidius loco simillimo hujus quartae str. praebet (10):*

*Parce precor, gravidis, facilis Lucina, puellis
Maturumque utero molliter aufer onus.*

V. PUERI

Diva, producas subolem patrumque
prospères decreta super jugandis
feminis prolisque novae feraci
lege marita,

*Aumenta, oh diosa, nuestra prole, atiende
a los decretos del senado sobre
casar las hijas, y a la ley fecunda
en nuevos hijos;*

VI. PUELLAE

certus undenos deciens per annos
orbis ut cantus referatque ludos
ter die claro totiensque grata
nocte frequentes.

*Y que la vuelta estatuida de años
cientos y diez traiga y el cantar y el juego
en días claros y apacibles noches
tres celebremos.*

(1) Q Horatius Flaccus cum eruditio L. Torrentii commentario. Antuerpiæ, 1608. Carmen Saec. pp. 396-404.
(2) Scholia Ant. in Q. Horatium, Vol. I, Porphyronis commentum, Rec. A. Holder. Ad Aen. Pontem, 1894.—
(3) Quijote, P. II. 45.—(4) Liv. I. praeft. —(5) Liv. V. 54. —(6) Cic. 4. Cat. 6. —(7) Martial. 12, 8.—(8) Verg. Ecl. I.—(9) Propert. 3. 21, 17. —(10) Fast 2. 451.

*Producas subolem: ut suboles partu
edita laeta capiat incrementa. Unde nul-
la in V strophe inest tautologia ut voluit
Peerlamplus, (1) nihil aliud hoc signifi-*

*care putans quam in superiosi stropha
verba «aperire partus», cum e contra idem
sit ac illud Od. II, 13 produxit i. e. cura-
vit ut cresceres atque adolesceres*

*Ille et nefasto te posuit die,
quicumque primum, et sacrilega manu
produxit...*

*Ordo est: O diva, precamur ut produ-
cas subolem Romanam et prosperes decreta
patrum super jugandis feminis et super le-
ge marita feraci novae prolis. — lege ma-
rita: Caesar post bellum legem tulit ne
quis aut caelebs esset aut vidua nubilis,
quae possit jactura juvenum reparari
qua bellis civilibus contingereat. Nam
prope octoginta milia armatorum inter-
ierant. (2) Quae lex de maritandis ordi-
nibus seu Julia dicta est. Sed Caesar non
primus hanc legem sanxit, sed confir-
mavit et emendavit, nam anno jam 624
ab U. C. Metellus Numidius censor sta-
tuit, ut tradit Gellius, (3) et Cicero me-
morat in libro I, De legibus, 3: «Caelibes
esse prohibento». Haec lex Julia de ma-
ritandis ordinibus non confundenda cum
altera lege nonnunquam ab auctoribus
Julia quoque appellata quam Augustus
senior a. ab U. C. 758, quinque novemque
antequam moreretur, M. Papio et Q. Poppaeo
Coss., perferri curavit.*

*Strophae VI ordo est: Precamur ut
certus (annorum) orbis deciens per annos
undenos facta referat cantus et ludos fre-
quentes per tres dies claros totidemque noc-
tes. — certus undenos: h. e. saeculum,
quod suxta Censorinum (4) definitur:
«spatium vitae humanae longissimum parti
et morte definitum». Romanorum saecula
saecularibus ludis distingui solent, sed
cum temporum intervallo, quibus ludi
isti referri debeant sint incerta, diversa
est etiam apud auctores saeculorum
cumputatio; itaque Varro, De scaenicis
ori ginibus I et Livius CXXXVI, centesi-
mo quoque anno saeculares ludos cele-*

brandos autumant, contraque Horatius
noster cum Zosimo decimo et centesimo
quoque anno reponunt, quam senten-
tiā Commentaria ludorum Saec. con-
firmant: «Sacrificium saeculare ludosque
qui centesimo et decimo anno recurrunt» (5)
De hac re loculenter disserit E. Deihl,
«Das saeculum seine riten und gebete» in
commentario Rheinisches Museum für
Philologie, Frankfurt am Main 1934 pp.
254 et sqtes. — ter die claro: Ludi saecu-
lares tribus diebus totidemque noctibus
celebrandi mos fuit, a nocte videlicet ult-
ima m. Maji ad tertium diem Junii, sa-
cificis nocturnis et diurnis, ludis scaen-
icis, circensibus, honorariis. Sacrificia
nocturna Augustus in campo ad Tiberim
Archivo ritu h. e. aperto capite offerebat
hac ratione: prima nocte Moeris seu Par-
cis agnellas novem novemque furvas ca-
preolas; altera nocte (1/2) Ilithyiae libas
novem, popanas novem, novemque ptho-
es; tertia nocte (2/3) Terrae matri suem
plenam. Diurna sacrorum sollemnia
ita ordinata erant, ut primo die in Capito-
lio Jovi D. O. M. bovem proprium seu
perfectum Imperator litaret, altero die in
ipso Capitolio Junoni reginae bovem fe-
minam, tertio die in Palatio (eodemque
modo in Capitolio) Apollini et Diana libas,
popanas, pthoes novem numero. Venatione quadam magna, paucis post
diebus habita, saeculares ludi claudeban-
tur (6) — frequentes=muy concurridos;
tanta enim erat Romae populorum fre-
quentia ludis saecularibus perdurantibus
ut verba Ovidii «orbis in Urbe fuit» ve-
rissima fierent. Consulto autem adjecti-

(1) Cf Steiner, 1 c. — (2) Cf. Suet. Oct. Aug. Aug. c. XXXIV. — (3) Noct, Att. I, 6. — (4) De die nat 17. —
(5) C I L, 32, 323, v. 25. — (6) C. I. L. 32, 323, Commentaria Lud. Saec.



vum **frequentes** in extrema stropha collocavit. Illas enim voces, in quibus maxima vis posita est aut primum aut

postremum enuntiationis locum tenere consuetum est.

VII. PUERI

Vosque, veraces cecinesse Parcae,
quod semel dictum est stabilisque rerum
terminus servet, bona jam peractis
jungite fata.

*Por vos, oh Parcas, en cantar veraces
lo prefijado, el immutable orden,
a los cumplidos venturosos bados
nuevos se añadan.*

Vosque... Parcae: Precibus jam in Appollinem et Dianam rite peractis poeta novas subjungit ad Parcas et Tellurem, sicut versus Sibyllini praescripserant. Parcae tres erant sorores filiae Erebi et Noctis, Clotho Lachesis et Atropos dictae. Eae dicuntur etiam Fata et praeesse vitae hominum et unicuique nascenti sortem suam canere. Clotho enim fila vitae net, Atropos eadem fila caedit, Lachesis vero suam cuique sortem et

*His ergo nec metas rerum nec tempora pono;
Imperium sine fine dedi; (2)*

non tantum precatur poeta ut servent hunc terminum, sed bona fata peractis adjungant.—*veraces cecinisse:* infinitivus pro gerundio ponitur = veraces in canendo. Exempla similia adfert Cl. Llobera (3): *audax omnia perpeti* = ad omnia perpetienda (4); *non mihi sunt vires inimicos pellere tectis* (5); *Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo et cantare pares et respondere parati* (6). Sed praeter hanc poeticam loquendi formam, adest etiam praeteriti infinitivi usurpatio, modo quo usurpatur infinitivum aoristum, quod verbo quodam praemisso saepius accidit quam praemisso adjectivo. Ex. gr. *Ne quis humasse velit Ajacem, Atrida, ve-*

VIII. PUELLAE

Fertilis frugum pecorisque tellus
spicea donet Cererem corona;
nutriant fetus et aquae salubres
et Jovis aurae.

*Fértil en frutos y en ganado el suelo
corone a Ceres con espigas de oro,
crien cosechas saludables aguas
y auras suaves.*

vivendi genus statuit. Itaque prima initii praest, altera fini, tertia cursui. Parcae civitatibus et populis praeesse quoque credebantur, qua ratione Horatius in hoc S. C. confisus invocat, easque *veraces* appellat, h. e. *non mendaces* (1), quippe quas in suis decretis et effatis falli nunquam contigit. Cum vero Romano populo stabilis rerum terminus sit praenuntiatus juxta illud Vergili

tas cur? (7); Si curat cor spectantis tetigisse querela (8).

Parcas poeta veraces dicit quia earum auxilium implorat; et contra mos est inter poetas despacta epitheta eidem tribuere, videlicet: immanes, saevae, avidae, dirae, crudeles, infestae, invisae, iniquae, mutae, nocentes.

*Fertilis Tellus: dea terrae, quam cum Cerere unum et idem aliqui faciunt; sed his Horatius non favet; nam precatur ut Tellus (*subjectum agens*) donet Cererem (*subj. patiens*) spicea corona. Donare construitur generatim cum accusativo personae et ablativo rei, ut in hoc exemplo Horatiano, vel cum dativo personae et accusativo rei tanquam verba dandi,*

(1) Cf. II, Od. 16-37. —(2) Aen. I, 278-279. —(3) Grammat. Classicae Latinitatis, 34. —(4) Hor. Od. I, 3, 25. —(5) Ov. Her. I, 109. —(6) Verg. Ec. 7, 4-5. —(7) Hor. Sat. II, 3, 187. —(8) Ar. Poet. 98. Cf. etiam Od. III, 4, 51; Epl. I, 17, 5; II, 2, 109.

e. c.: Non pauca suis adjutoribus large estuseque donabat (1). Forcellinius tamen adfert etiam exempla cum accusativo personae et genitivo rei atque cum accusativo personae et rei. — Cererem: Ety-
mon varie proponitur. Placet Ciceronis

IX. PUERI

Condito mitis placidusque telo
suplices audi pueros, Apollo;

*Blando y risueño con la vira oculta
oye a los niños en su ruego, Apolo;*

Nona stropha octavae mire cohaeret epithetis condito telo et siderum regina bicornis. Namque telo ex pharetra de prompto Phoebus seu Apollo pestem ac calamitates, in primis pecori, immittere ferebatur (3); Luna autem lucido suo si-

X. PUERI

Roma si vestrum est opus Iliaeque
litus Etruscum tenuere turmae,
jussa pars mutare Lares et urbem
sospite cursu,

*Si Roma es vuestra y muchedumbres Ilias
el pie pusieron en marina Etrusca,
mudar de casa y ciudad mandadas,
con feliz curso,*

XII.

di, probos mores docili juventae,
di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
et decus omne.

*dad vos, ob dioses, probidad al dócil
joven, al viejo quietud tranquila,
de Roma al pueblo con hacienda y prole
dad toda gloria.*

proferre judicium (2); Est a gerendis frugibus ceres, tanquam Geres, casuque prima littera itidem immutata, ut a Graecis, nam ab illis quoque Δημήτηρ quasi Γημήτηρ nominata est. Proprie Ceres dea frumenti.

PUELLAE

siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.

*Luna bicorne, de los astros reina,
oye a las niñas.*

dere alternisque cornuum vicibus ad terae fertilitatem caelique temperiem ac salubritatem plurimum valere credebatur. Ceterum bicornis Luna dicitur, quia, teste Juventio, Luna crescente, ludi saeculares celebrabantur.

XI. PUELLAE

cui per ardente sine fraude Trojam
castus Aeneas patriae superstes
liberum munivit iter, daturus
plura reliktis:

*y a ellas sin riesgo por la ardiente Troya
el casto Eneas de su patria salvo
libre camino aseguró y dió luego
mayor grandeza:*

XIII.

Quaque vos bobus veneratur albis
clarus Anchises Venerisque sanguis
impetrat, bellante prior, jacentem
lenis in hostem

*Y el que os venera con novillos blancos,
noble de Anquises y de Venus sangre,
sea mayor que el enemigo, y blando
sea al vencido.*

(1) Cic. S. Ros. 8, 23.—(2) II Nat. Deorum 26, 67.—(3) Homer. II, I. 50.

Roma si vestrum...: Ordo grammaticalis est: «Di, si Roma est opus vestrum parsque Iliae turmae, jussa (a diis) mutare Lares et urbem, tenuere litus Etruscum sospite cursu, cui = (et huic parti Iliae turmae) castus Aeneas superstes patriae munivit sine fraude iter liberum per ardente Trojam, datus = (ut daret) plura relicta = (quam relicta); date, di, probos mores docili juventae...» — Roma opus deorum dicitur quodrum ius suu Aeneas, Romanorum auctor, in Ita-

liam pervenit, ut tradunt Vergilius et Livius. — *Litus Etruscum: Tiberi in Etruria orienti, eidem Tuscus nomen quoque est, quod litori dedit. — jussa pars: non sine causa «pars», nam cum Aenea non omnes in Latium pervenerunt; alii enim in Illiriam, Venetiam, Campaniam, Sardiniam penetrarunt: pars «jussa», quia dii jusserant solum vertere et Trojam relinquere. — sospite cursu: prospera et secunda navigatione. Quod et Sibylla praenuntiaverat:*

...cursusque dabit venerata secundos (1)

Cave tamen credas Aeneam sine labore in Italiam pervenisce: nam multis adversisque casibus Trojanorum peregrinatio abundavit ut patet in Vergiliano poëmate. — *per ardente sine fraude Trojam: Horattus noverat traditionem veterem de Trojae vastatione atque incendio: Aeneida quoque absque dubio noverat ut ex his adjunctis liquet dignoscere. «Sine fraude» i. e. sine noxa, sine damno flammae. — Castus Aeneas: h. e. a flagitio et scelere purus: non incestus adulter ut Paris, non perjurus ut Priamus. — datus plura relicta: reliquerant nempe Trojam florentem civitatem, sed Aeneas, deorum praesidio, parti Trojanorum secum peregrinantium Romam datus erat potiorem civitatem et caput mundi. — remque prolemque et decus omne: opes, genus, gloriam. — quaeque: non desunt editiones quae «quique» pro «quaeque» adferant, easque secuti Llobera et Menéndez Pelayo (2) interpres dixerunt:*

*Trojamque et Anchisen et almae
progeniem Veneris canemus. (4)*

— *lenis in hostem: h. e. Augustus prior (clarior) se ipso bellante imperet lenis in*

hostem jacentem. Similij modo dixerat Mantuanus (5):

*Tu regere imperio populos, Romane, memento:
Hae tibi erunt artes: pacisque imponere morem
Parcere subjectis et debellare superbos.*

(1) Aen III, 461.—(2) Odas de Horacio traducidas e imitadas por los ingenios españoles. Barcelona, 1882; Canto Secular p. 309.—(3) Caec, ad Cic. 6 Fam. 7.—(4) Od. lib, IV, 15, 30.—(5) Aen, VI, 852-855.

XIV. PUERI

Jam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures,
jam Scythaes responsa petunt superbi
nuper et Indi.

*Ya en mar y tierra las pujantes buestes,
el medo teme y la segur albana,
ya el cita, el indo, poco ha soberbios
órdenes piden*

Albanas secures: Albanas pro Romanas, nam Roma Albanorum veluti colonia fuerat. Alba, Romae parens, caput fuit Latii vetusti primum ab Ascanio, cui cognomen Iulus. Aeneae filio condita (1) a qua civitate traditus est mos ut prius rei virgis cederentur quam securi

*Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque et Indus, te profugus Scytes
miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae (2)*

Haec omnia non sine ratione memorat Horatius Augusti adulator. Augustus enim, qit Suetonius, domuit partim ductu partim auspiciis suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illirico omni: item Rhaetiam et Vindelicos ac Salassos, gentes Inalpinas. Coercuit et Dacorum incursiones, Germanosque ultra Albim fluvium submovit. Alias item nationes male quietas ad obsequium redigit... Qua virtutis moderationisque fama Indos etiam et

XV. PUELLAE

Jam fides et pax et honos pudorque
priscus et neglecta redire virtus
audet, adparetque beata pleno
copia cornu

*Ya la fe antigua y el pudor y la honra,
la paz amada y la virtud pospuesta
osan volver y la abundancia fértil
llena su cuerno.*

ferirentur, sicut Messenius tradit Horatii commentator. — *Medus...*, *Scythaes nuper et Indi*: Medus (Parthus) qui erat in Asia, et Persidem occuparat. Scytæ sunt septentrionalis Asiae populi. Alias idem poëta cecinit:

Scythaes pellexit ad amicitiam suam populique Romani ultro per legatos petendam. (3) — cornu copiae: metaphora sicut apud Haebreos, et apud Graecos et Romanos usitatisima, cuius haec est fabula. Juppiter a Nymphis nutritus est lacte cuiusdam caprae, Amalthæ dictæ, quas ut remuneraretur placuit Jovi ut ex illius caprae cornu refecto, omnes fruges et fructus in perpetuum manerent. Hinc cornu copiae vocatum est.

PUERI ET PUELLAE SIMUL

XVI.

*Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camoenis,
qui salutari levat arte fessos
corporis artus,*

XVII.

*si Palatinas videt aequus aras,
remque Romanam Latiumque felix
alterum in lustrum meliusque semper
prorogat aevum.*

(1) Aen. I, 266-274. — (2) Od. IV, 14; vv. 41 et sqq. cfr. etiam Od. IV, 5, 25-28. — (3) Suet. lib. II. D. Oct. C. Augustus, 21.

*Gallardo Febo con el arco hermoso,
augur y acepto a las Camenas nueve,
que alivio dulce a los exhaustos miembros
con su arte presta,*

*si mira grato el palatino alcázar,
si grato a Roma y al dichoso Lacio
de lustro en lustro los prospere y ame
eternamente.*

XVIII.

*Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
quindecim Diana preces virorum
curet et votis puerorum amicas
adplicet aures.*

*Diana acoja de los quince el ruego
buena las preces de los niños oiga
la que las cumbres Aventinas tiene
y Álgido mora.*

*Augur... Phoebus: Phoebo seu Apollini quottuor artes tribuebantur quas Horatius his quattuor versibus complectitur: divinatio seu augurium, sagittandi peritia, musices ac poësis, demum ars salutaris seu medicina. — si Palatinas: «si», non est particula dubitativa, sed illativa; eandem vim habet ac conjunctiones nam, etenim. Simile occurrit exemplum in stropha decima: *Roma si vestrum est opus...* — Aras: vel arcas ut aliae editiones volunt, quibus Llobera usus est; sed ego cum Vollmet «aras» malo, nam in monte Palatino templum Apollini dicaverat Augustus Imperator. — lustrum: plurium annorum spatium significat, teste Censorino (1): «Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod lustrum appellabant, ita quidem a Servio Tullio institutum, ut quinto quoque anno cen-*

*Haec Jovem sentire deosque cunctos,
spem bonam certamque domum reporto
doctus et Phoebi chorus et Diana
dicere laudes.*

*De que esto Jove con los dioses quiere
yo llevo a casa la esperanza firme,
llévala el coro de Diana y Febo
docto en los cantos.*

su civium habitu lustrum conderetur; sed non ita a posteris servatum... Rursus tamen annus idem magnus per Capitolini agones coepitus est diligentius servari». — *aevum*: est temporis perpetuitas. — *prorrogat*: alii prorroget. — *Algidum*: mons non procul a Roma situs in quo, sicut in Aventino, aediculae Dianaee sacrae dicatae erant (2). — *quindecim virorum*: Duumviri initio tantum fure ab ipso Tarquinio Superbo constituti quibus libros oraculorum Sibyllae custodiendos tradidit et interpretandos; postea decemviri, et a Sulla Felici dictatore quindecimviri fuerunt. — *doctus chorus*: ordo est: «Chorus doctus dicere (in dicens) laudes Phoebi et Dianaee»; unde non recte interpretatur Llobera cum verba «Phoebi et Dianaee» non ad chorum, sed ad laudes refert.

(1) *De die natali*, XVIII, circa finem — (2) *Od. I, 21, 6,*

De artificiosae harmoniae principio in arte poëtica Horatii

Daniel Ruiz, C. M. F.

Professor Litterarum Latinarum in Nationali Instituto Bilbilitano

I

Bis millesimum Horatianae nativitatis aniversarium non puto Hispanis allaturum magis splendidam humaniorum studiorum florationem quam Vergilianus attulit bis millenarius. Dolendum quidem, si res ita fiat, quod saecularis haec commemoratio tam sit humilis quam illa.

Nihil de illo epicorum Latinorum principe remanet omnino, eo anno Vergiliano editum, ne opus quidem simile «Virgilio en España» quod ex paritate quadam postulat vetus ille liber —neque obsoletus— «Horacio en España» quem scripsit immortali vir memoria Menéndez Pelayo.⁽¹⁾ Ille quidem, Horatianus noster exstitit postremus, qui Horatium concinens, poëtici instinctus attigit fastigium in nobili poëmate «Epistola a Horacio»:

«Yo guardo con amor un libro viejo...»

In opere omnium clarissimo⁽²⁾ «De idearum aestheticarum historia» cuius finem, sicut etiam aliorum operum ejus, claudere necesse est funerea hac inscriptione «manet opus morte interruptum», paginas studio dedit idearum Horatii aestheticarum quae, ut ego opinor, nativum prae se ferunt sigillum tumultuariae celeritatis qua ingenium illud criticum interdum conscribebat. Immensus prae oculis ejus patebat rerum prospctus, cuius comprehensionis studium quadam quasi febri mentem et calatum afficie-

bat. Quod gessit, titanis opus dices; quod autem mente concepit, opus erat compluribus generationibus perficendum.

Internam poëmatis Horationi unitatem non vidit Menéndez Pelayo eo quod non agnoverat originem Aristotelicam-Alexandrinam doctrinæ quam Epistola ad Pisones tradit. «Puerile fuit —ait M. Pelayo— quod in ea nonnulli ordinem desiderarent doctrinalem qui in compositionem poëticam minime cadit atque ingenii Horatiani circuitionibus liberis et errantibus colluctatur».⁽³⁾

Quam quidem unitatem cum non agnoscat magnus ille censor, doctrinam Horatianam exponit «Artis poëtice» viginti octo rubricis «nullo alio ordine quam tribuere iis voluit magnus poëta». Atque ita tandem claudit: «Ea est jurium atque officiorum tabula vere mirabilis, cuius juventam nec saecula decem et novem potuerunt labefactare, hodieque eodem virore gaudet atque tempore quo fuit promulgata». Nostri qualiscumque laboris ea Magistri verba lemma ponantur, dum in apparente praceptorum Horatianorum confusione legem detego quae eis unitatem praebet et plus quam aeneam perennitatem. Talis est lex harmoniae in arte classicorum vere anima; vel ut ipse Menéndez P. concinit:

(1) Scimus autem de hoc arguento «Virgilio en España» quemdam ex ejus discipulis virum placiarum negotium habere.—

(2) *Ideas Escéticas*, t. I.—(3) *Ib. pag. 182.*

ne quid nimis emicat illud,
*Sobrietas aeternali tui quae numinis exstat
 Arcanum vocum concisio. Forte sonoris
 Vis animi numeris ruit, ut torrentis aquarum
 Lapsus; et harmonica editos trascendere lege
 Fines fas numquam, Grajis banc quippe novena
 Mnemosynes proles sancivit».⁽¹⁾*

Talia fuit vates, talis et magister.
 Epistola ad Pisones non aliunde ortum
 habere potuit quam ex mente Helenica
 quae carminum epodumque secuta est
 modos. Salutem igitur Horatio tribuamus
 harmoniae principi simul et magistro.

Nihil utique novum de re dicere
 affectabo, quod absit, de libro qui a
 prima illa aetate qua editus est in lucem
 abundat comentariis. Quod in versio-
 nibus Horatianis perennius est litteris-
 que pulcris atque praesentibus aptius,
 id tantum subducere conabor.

II

Oportet autem ante omnia decernere
 litterariae doctrinae «Epistulae ad Pisones» Aristotelicam filiationem. Vulgo ad-
 ducuntur apud omnes verba Porphi-
 rionis, primi Horatii interpretis, quibus
 veluti filo quodam conductore interna
 unitas, ordo poësis Horatiana, doctri-
 nalis compago manifestari potuit: «Con-
 gessit praecepta Neoptolemi, τῷ Παρι-
 νῷ de arte poëtica, non quidem omnia,
 sed eminentissima».

Quis vero fuerit Neoptolemus ille
 cuius praecepta in aureos Horatii modu-
 los traducta sunt? Dum res fuit ignota,
 nulla primi scholiaстae verbis data est
 fides. At praeter spem fragmenta cuius-
 dem deperditi operis Neoptolemi dete-
 guntur in libro V inclusa Περὶ ποιημάτων

Philosophus hic epicureus laudatum li-
 brum Neoptolemi, Grammatici et poëtae
 refert, qui fuit initio saeculi III vel sub
 finem saeculi IV ante Chr. N.

Intererit multum igitur conceptus
 litterarios Neoptolemi reficere, qui fons
 existit Horatii et quidem directus. Age
 vero, Neoptolemus vir peripateticus fuit
 ex schola Alexandrina, et praeterea com-
 pertum est et philosophos et rhetores et
 grammaticos, quod simul erant universi
 sicut eorum magister, dogmata Aristote-
 lis atque fundamenta fideliter retinuisse.
 Itaque statuere possumus doctrinam
 et litteras Epistulae ad Pisones, quae in
 historia litterarum adeo sublimia obti-
 nuit fata, per scholam Alexandrinam
 cum τερπικής Stagiritae connecti.⁽²⁾

(1) *Viñas, Versiones Latinas*, 77. — **Menéndez Pelayo**, *Epiſt. a Horacio*:

El «ne quid nimis» sobriedad eterna!
 La concisión, secreto de tu numen.
 En torrentes de números sonoros
 despéñase tal vez tu fantasía;
 mas nunca pasa el término prescrito
 por la harmónica ley que a los helenos
 las hijas de Mnemosíne enseñaron.

(2) **Rostagni**, in re philologica vir clarissimus laudem est tandem adsecutus ostendenda omni perspicuitate filiationis Al-
 xandrinae-Aristotelicae Epistulae Horatianae. Summam totius questionis satis claram videre licet apud **Camelli**-Orazio, *Arte poë-
 tica*, con introduzione e note di Giuseppe Camelli — Firenze, 1933.

Inter opus autem Aristotelicum atque Horatianum fundamentale discrimen necessario intercedit. Aristoteles enim homo est toto ore sapiens, qui opus litterarum subjicit analisi rigido ac frigido eodem atque aliud quodcumque phaenomenon humanum. Nullum locum memini Poëtæ illius qui ante opus, quod recenset, motum animi ullum transfundat. Investigare dumtaxat naturam poësis in se ipse laborat, eam definire et in species digere: Περὶ ποιητικῆς αὐτῆς τε καὶ τῶν εἰδῶν αὐτῆς... λέγωμεν ἀρξάμενοι κατὰ φύσιν πρώτον ἀπὸ τῶν πρώτων.⁽¹⁾

Horatius contra semper est poëta, qui cogitantibus vivam induit formam, figurat mentis conceptus et ut artis praeceptum maximum enuntiet quem animam dixeris artis poëticae —quod est pariter artis anima— praeceptum dico harmoniae partium cum toto, nos ante tabulam constituit monstruosam dum juvenes Pisones caecinnum tollentes audimus. Hoc est poësis, vita; illud scientia, ratio.

Quod discrimen formae, non vero rei, nihil impedit quominus doctrina fluat Aristotelica sub numerosa Horatii hexametra, quibus magnus ille Graecus magister in litteratorum generationibus influxum majorem exercuit —an semper beneficium?— quam rigidis Poëticae definitionibus.

Omnibus notum est Aristotelem poësim dramaticam omnium nobilissimam existimasse: tragediam scilicet et comoediam. De epica poësi etiam loquitur, sed praeterita heroum aetate ea quasi lapidicina devenit ad tragediam. Poësis in sensu latissimo est *mimesis* seu imitatio

atque hujus imitationis scopus actiones humanae, (ἐπει δὲ μιμοῦνται οἱ μιμούμενοι πράττοντας) et tragediae anima est actio: γὰ τῶν πραγμάτων σύστασις. Data hujus rei conceptione, nullatenus irreali, facile quis comprehendat tragediam et comoediam —poësim in actione— omnium esse nobilissimam, atque ideo maximam tractatus Aristotelici de Poëtica partem sibi assumpsisse, sicut etiam Epistulae Horatianae ad Pisones.

Aristotelici-Alexandrini, quamquam sub gravi auctoritate magistri una cum tragedia, comoedia et epica poësi alia litterarum genera subduxerunt, quae Aristoteles vix innuerat, ut liricam. Discipuli autem Stagiritae minutatim statuere curarunt certas stili regulas, versificationis, elocutionis, aliorum litterarii operis requisitorum. Ars ejus tota «Praeceptiva litteraria» integra devenit ad Romanos, in hac re sicut in omnibus ad cultum litterarum pertinentibus, a vietiis Graecis in tributum redactos. Ex Romanis autem, majoribus nostris, eam hereditatem nos quoque accepimus, donec surrexit titulum genus qui recentis temporis novum aesceticæ aedificium erexit et a rhetorum tyrannide liberavit in posterum litteras liberales. Ad quod quidem incepit saeculis opus fuit: tantæ molis erat...!

Quales autem hujuscemodi systematis litterarii tractus generaliores? a) Duplex principium operis litterarii productivum: τέχνη καὶ φύσις; ars et natura; studium et ingenium. b) ποιητὴς καὶ ποίημα, artifex et argumentum. c) Finis operis litterarii: utille et dulce: σύμφορον καὶ γέδονή.

(1) Poëtica, I, 1447, 2.

Etsi parum familiariter epistula Horatiana usi fuerimus ejusdemque praceptoris, protinus detegemus hanc universim esse mentem, eos esse conceptus qui in ea evolvuntur ea tamen libertate et magnificentia, qua pollet poëta qui ceterum notos et vulgares agnoscit systematicos rationis litterariae aequalium suorum tractatus quos ille dumtaxat nobilitat et vivificat lepore familiari simul et poëtico. Quae quidem peculiaris et technica temporis cognitione ad perfectam operis Horatiani intellegentiam procul dubio con-

ducunt, sed magna ex parte ad archaeologiam litterariam pertinent. Verumtamen super peculiares formas artis praceptivae litterariae illius aetatis, quae sicut recentis temporis discutioni et caducitati sunt obnoxiae, principium exurgit aeternae viriditatis, quod epistolam perennitate donat, quodque ejus immarcessibilem et perpetuam juventutem explicat et insuper vinculum est internum et totam doctrinam in ea expositam compingit ac conserit: Harmoniae artificiosi operis principium.

III

Revera cum primum «Artem poëticam» legimus, quasi per silvam nobis errare videmur regularum atque praceptorum, quae digressionibus decussantur primo visu non cohaerentibus et insinuationibus sine certo respectu litterario; quod difficiliter ad principium unitatis

Denique sit quodvis simplex dumtaxat et unum (v. 23)

Noluit Horatius, neque genium ejus decebat poëticum, subtilius ratiocinari de essentia pulcritudinis quae finis est operis litterarii, sed poëtico intuitu Augustianam pulcri definitionem pracepit: unitatem in varietate. Quod potest quidem non esse definitio essentialis, sed est

totum redigas. At exstat principium, idque nostro jure adserimus: Artem poëticam Horatianam, exceptis artis praceptoris minoris momenti et unius aetatis uniusque scholae, totam esse commentariam explanationem hujus unius principii:

demum condicio necessaria pulcritudinis in omni opere variis elementis compito: partium harmonia in toto.

Imago, dicam melius, tabula vivida qua formam dedit Horatius huic pulcritudinis notioni in omnes hominum mentes devenit:

*Humano capiti cervicem pictor equinam
jungere si velit et varias inducere plumas
undique collatis membris, ut turpiter atrum
desinat in piscem mulier formosa superne;
spectatum admisi, risum teneatis amici? (vv. 1-5)*

Huic autem legi, quam natura dedit inter Pisonum juvenum cachinnos ante monstruosam Horatii tabulam est promulgata, non semel opponitur libertatis poëticae principium. Poëtica libertas! Bellum vocabulum! in quo totam aeste-

tiam componunt qui nullam æsteticam habent. At libertatem hanc — inquit Horatius —

*petimusque, damusque vicissim (v. 11)
ea lege, ut nempe intra fines contineatur
quos praeterredi nefas erit: fines hujus-*

modi sunt inverisimilia, ut consortium avium et serpentium, agnorum et tigrium conversatio. Igitur Horatio sicut Aristotelii natura est artis regula ultima. Naturam praeterire est artem transgredi. *Mimesis* Aristotelica est demum imitatio naturae. Adeo est imperiosa lex illa concordiae et harmoniae in opere artificioso, ut nihil valeant pulcra fragmenta in toto illepidio singillatim coruscantia, sunt enim lacinia purpureae in rudi ueste.

Sed nunc non erat his locus (v. 19)

Difficile est profecto, neque quisquis adsequatur, medium iter incedere, delicatum sensum habere modi et proportionis, quod essentia est artis classici. Qualis in artifice exquiritur tactus qui brevis neque obscurus esse debet, grandis neque turgidus, varius neque prolixus...! Navigare inter scopulos utrinque se insidiantes, eosque transvadere feliciter uni artifici eique vero datur.

Sumite materiam vestris, qui scribitis aquam viribus, et versate diu quid ferre recusent, quid valeant bumeri. Cui leta potenter erit res, nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo. (vv. 38-41)

Duo haec fecunda vocabula subducamus: *lucidus ordo* quae jure definitionem

Ordinis haec virtus erit, et venus, aut ego fallor, ut jam nunc dicat jam nunc debentia dici; Pleraque differat, et praesens in tempus omittat; hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

I V

Atque hic finem habet prima artis poeticae pars, quae in technicae litterariae tractatibus quasi materiam operis comprehendebat et ποίησις appellabatur ut a ποιήματi discriminaretur, quae erat forma et operis dispositio. Luculenter appetit lectori simpliciter legenti to-

In vitium dicit culpae fuga si caret arte
(v. 31)

Nova imago, nova similitudo ab arte sculptorico sumpta, ut nova forma apparet principium jam enuntiatum exemplo ex pictura desumpto. Procul, videlicet «Aemilium circa ludum» infelix sculptor fingendis statuis operam exercet. Scit ille profecto et ungues perficere et capillos levigare, sed membrorum complexionem nulla donat pulcritudine.

Infelix operis summa, quia ponere totum nesciet (vv. 34-35)

Manifesta est ad opus litterariorum translatio. Attamen ubi radix infortunati exitus illius sculptoris et complurium scriptorum? In eo nempe est quod obliviscuntur artificem inter et opus, quod incepint, harmoniae legem et proportionem esse custodiendam. Non omnes possumus omnia; Vos, mei Pisones, ait Horatius:

existimaveris artis classici, quae lux est in ordine vel potius ordo proferens lucem.

tam hujus primae partis doctrinam uno informari principio quod omnium est caput: harmonia, proportio, opportunitas; τὸ πρέπων.

Nunc autem poëta operi mentis creato (ποίησις = fictio) formam dare cogetur vocabulis. Tractatum igitur ingredi-

tur de elocutione. Qua in parte unam rem tantum certam oculis objicit: novationem vocabulorum, qua in re sicut in aliis compluribus novae generationes repetunt singulae quod ille scriptum reliquit utpote quod pulcerrimum, neque melius dici potest.

In verbis etiam tenuis cautusque serendis (v. 46)

Duo haec adjectiva quae sunt quasi attentionis signa: *tenuis cautusque*, mihi referre videntur illud «ne quid nimis» aeternae sobrietatis, animae artis et praceptorum Horatianorum. Ex alia parte tamen nemo magis eloquentius et vehementius jus innovandi sermonis procla-

*Licuit, semperque licebit
signatum praesente nota procudere nomen.*

*Ut silvae foliis prinos mutantur in annos,
prima cadunt; ita verborum vetus interit aetas,
et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.*

Debemur morti nos, nostraque. (vv. 58-62)

Elocutio autem poetica pluribus quam sermo communis praepeditur obstatulis, rithmo scilicet et versu. Qua quidem in re aliam applicationem videbimus illius principii quod doctrinam Horatianam informat, id est harmonia et convenientia formae poeticae cum genere litterario. Non est anceps unum aut alterum metrum adhibere. *Epos* lento gradu et regio —«*incessu patuit dea*»—

Descriptas servare vices operumque colores

Cur ego si nequeo ignoroque poeta salutor? (vv. 86-87).

Atque hic animadvertere licet rigidam illam generum separationem in poesi dramatica, quam classici injungebant. Non tantum quod tragedia et comoedia

Versibus exponi tragicis res comica non vult (v. 89)

Dramaturgi nostrates apud Hispanos doctrinam Aristotelicam minime negligentes, quae ad omnia videtur utilis esse, drama commenti sunt quod repre-

Ecce lex etiam harmoniae et temperantiae quae regit omnia: neque studium infrene in vocibus novandis, neque timor neologismi legitimi quem recentium temporum inventa expostrulant et varietas idearum.

mavit, neque pulcriorem legis formam internae linguarum renovationis quisquam praebuit quasi rerum viventium, quam praebuit Horatius Homerica comparatione silvarum, quae quotannis foliis renovantur.

hexametro nititur; *elegos* in pentametro fluentum profundit lamentis intermissum et lacrimis; *satira* cito armatur et feriente iambo, quod etiam tragedia et comoedia repetunt, tanquam colloquio proprium et theatrale strepitum superaturo; *stropha* autem *lyrica* erit tandem cithara variarum fidum quae sonum referant ex victoriis deum et heroum promanantem et epularum hilares tumultus.

duae plagae sint magno pelago dissitae, immo ita mutuo dissociantur, ut sermo quo utuntur homines, in plaga altera uti non valeant.

sentatio esset et quasi summa totius vitae; et manifestum est in vita comoediam et tragediam suos confundere fines et sermones permiscere.

Nostrum igitur theatrum Hispanum classico non est oppositum sed classico suprapositum. Ac digressio haec ansam nobis praebet ut duo hic gloria nomina conjungamus, magistri scilicet artis classici, et conditoris theatri Hispanorum nationalis: Horatium dico et Lupum de Vega. Utriusque currunt hoc anno centenariae commemorationes.

Concordia vero quam expostulat Ho-

*Non satis est pulcra esse poemata dulcis sunt
et quocumque volet animum auditoris agunto.* (vv. 99-100)

Si omnis ars litteraria, vel illa personalior lyricae poësis, auditorium petit, id est quidquam aut quempiam qui poëtae cantum resonet —non canimus surdis, inquit Vergilius— ars oratoria et dramatica ex fluxu et refluxu agitantur poëtae ad populum et populi ad poëtam. Rem illam arguit quod doctrina Hora-

*Format enim natura prius nos intus ad omnem
fortunarum habitum; juvat, aut in impellit ad iram
Aut ad bumum maerore gravi deducit et angit:
post effert animi motus, interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis absona dicta,
Romani tollent equites, peditesque cachinnum,* (vv. 108-113)

eum videlicet cachinnum, sonorum utique, qui jam initio strepuerat cum Pisones tabulam mulieris et piscis contemplabantur. Idem igitur principium et lex jam tunc proclamata Horatianas præceptiones informare pergit.

Auctor dramaticus accurate perpendit indolem, aetatem, condicionem, ordi-

*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.* (121-122)

Cum traditio nullam præfinitam indolem imponet, tunc logica interna vel

qualis ab incepto processerit et sibi constet. (vv. 126-127)

ratio inter genus litterarium ejusque metrical expressionem, minoris est momenti quam ea quae requiritur inter personas atque earum indolem et sermonem in scaena adsumendum. Vult Horatius quidquam, immo et multum, habeat, ars dramatica Platoniana illius virtutis quae censetur artis oratoriae medulla, ut sit psycagogica, id est, ut animos ad se convertat.

tiana hujus loci artis poëticæ (vv. 100-113), quae stricte ad drama pertinet, ad artem oratoriam litteraliter transferri potuit. Horatius rursus alte ostenditur Aristotelicus cum hic ad naturam dicit quasi ad primum harmoniae fontem eumque supremum:

nem, patriam personarum, ut unicuique verba tribuat accommoda. Nutricem non decet matronarum sermo nobilium. Atque etiam cum poëta ipse ex sese in novas res procurrit, nequaquam spernat necesse est traditarum certa limeamenta personarum. Achilles crit

naturalis opportunitas ducet poëtam, ita ut persona ab eo creata servetur ad imum

AC Segarra - Palaestra Latina (Cervera) 01/06/1936 - Pàgina 55 WWW.culturaclasica.com

V

Deinde agere incipit Horatius de materia operis litterarii. Duplex panditur poëtae iter: traditio et inventio pura.

Quod ita significavit Magister:

*Aut famam sequere aut sibi convenientia finge,
scriptor. (vv. 119-120)*

Sed originalitate donare argumentum quod commune est patrimonium, incep-
tum est haud facile, sed majore ideo
dignum laude evolvere proprio et novo
spiritu pericopem Illiados, quam in

scaenam producere purae inventionis
argumentum. Hoc videtur sensus ac-
ceptior obscuri illius Horatiani loci qui
in tot controversias divisit commentato-
res:

*Difficile est proprie communia dicere; tuque
Reclius Iliacum carmen deduces in actus
quam si proferres ignota indictaque primus. (vv. 128-130)*

Sed finis noster non est in hac lucu-
bratione litterariam interpretationem et
commentarium Epistulae ad Pisones face-
re, sed detegere et in tractatu illius filum

persequi quod legem internam dicit. Et
ecce nos ante praeconium venimus nobilis-
simum Homericæ poësis in quo doctrina
Horatiana iterum iterumque contrahitur.

*Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet
primo ne medium, medio ne discrepet imum. (vv. 151-152)*

Adulescens autem Horatii amicus
vires tentare affectat in opere dramatico
atque in illusorio aestu sibi audire vi-
detur in theatro dulcem manuum cre-
pitantium strepitum. Cui senex Ma-

gister amica voce: audi, inquit; si op-
tabile appetis triumphum dramaticum
nancisci, si vis ut populus tuo plaudat
operi neque scaenam deserat

donec cantor vos plaudite dicat,

*aetatis cujusque notandi sunt tibi mores
mobilibusque decor naturis dandus, et annis. (vv. 155-157)*

Quid nunc memorem animatam ta-
bulam eamque viventem quam de varia
hominis aetate producit. Hic verum red-

didit suum ipsius effatum: ut pictura
poësis erit. Tabula ad calcem secum fert
Horatianam subscriptionem:

*Ne forte seniles
mandentur juveni partes, puerisque viriles,
semper in adjunctis, aevoque morabimur aptis. (vv. 176-178)*

Novum enuntiatum vel nova communis
principii applicatio.

Post haec cordata consilia adulescen-
ti Pisoni concredita, qui ad plausum
scaenæ studio forte ferebatur, agit ma-
gister de ipso opere dramatico deque
partibus vetus drama constituentibus.

Quae doctrina Graeca est et Aristotelica;
germane Romanus vel potius Horatianus
est sensus moderatus et temperatus, et
verisimilitudo qua regenda sunt omnia.
Ex oculis spectantium est amandum
quidquid verisimili repugnet vel populi
placitis:

*Nec pueros coram populo Medea trucidet
aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,*

*aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem:
quodcumque ostendis mihi sic in credulus odi.* (vv. 185-188)

Aristotelicus est etiam Horatius in ratione chorū: Chorus habendus est — ait Aristoteles — ut unus ex actoribus et pars totius (*μόριον τοῦ θλού*) et non ut in Euripide, sed ut in Sophocle ad exitum debet conferre.⁽¹⁾

Chorus igitur est Aristoteli alia tra-

goediae persona. Cum autem Sophoclem laudat referre videtur Oedipum in Colono, in quo Chorus non solum agit in dramate, sed principem personam re praesentat.⁽²⁾

Horatio idem est chorus: *εἰς τῶν ὑποκριτῶν:*

*Auctoris partes chorus officiumque virile
defendat neu quid medios intercinat actus,
quod non proposito conducat, et haereat apte* (vv. 193-195)

Magni momenti in veteri tragoeadia consebatur musica: μελοποία. Horatius hoc loco pristinam simplicitatem amisisse et chorū et musicam et populum lamentatur, et dum suo tempore simplex

tibicen traxit vagus per pulpita vestem chorus prius utilium sagax rerum et divinans futurum, aemulari voluit grandi loquas Delphici oraculi sententias:

*Et tulit eloquium in solitum facundia praeceps;
utiliumque sagax rerum et divina futuri
sortilegis non discrepuit sententia Delphis.* (vv. 217-219)

En iterum nobis moderationis magistrum, illius scilicet ne quid nimis aeternae sobrietatis. Eadem lex consonantia:

tiae nempe et decoris drama satiricum moderatur, de quo continuo agit Poëta Magister:

*Verum ita risores, ita commendare dicaces
conveniet Satiros, ita vertere seria ludo,
ne quicumque deus, quicumque adhibebitur heros
regali conspectus in auro nuper et ostro,
migret in obscuras humili sermone tabernas;
aut dum vitat bumum, nubes et inania captet.* (vv. 225-230)

Postremus versus in mentem revocat illum primae partis:

Serpit bumi tutus nimium timidusque procellae.

In hoc dramatum genere, de se libiore, est doctrina eadem atque in comoediis

dia et tragoeadia communi. Locum unum dumtaxat praeebeamus:

*Non ego inornata, et dominantia nomina solum,
verbaque Pisones, Satirorum scriptor amabo:
nec sic enitar tragicō differre colori,
ut nihil intersit Davusne loquatur, et audax
Pythias emuncto lucrata Simone talentum;
an custos famulusque Dei Silenus alumni.* (234-239)

Jam minoris judicamus momenti thecnicas praceptiones quas de iambicis

metris exhibet Horatius, quod proprium est poësis dramaticae, ut ipse creditit

(1) Poet. 1456, XVIII, 25.—(2) Errandonca. Tragedias de Sófocles. tomo I, Edipo rey y Edipo en Colono.

Aristoteles: «μάλιστα χάρ λεξικὸν τῶν μέτρων τὸ ἱαρβεῖον ἔστιν». (1) Attamen hic

aureum consilium litterariae formationis invenimus.

Vos exemplaria Graeca

nocturna versate manu versate diurna. (268-269)

Dum Pisonibus loquitur Horatius, adulescentibus amicis, ejus oculus terram fortunatam intuetur artis genericem et ingeniorum patriam: Graeciam. Et post rapidam in historiam artis dramatici incursionem, confitetur Magister, quamquam patriae attactus dolore, Latium nondum aemulari Graeciam in litterarum laude sicut in armis. Cujus causa haec

censetur, quod eis desit labor limae. Solacium hoc erat vanitatis Romanorum populi, sed res ipsa invitum cogit Horatium confirmare poësim excelsum esse musarum donum, abunde Graecis tributum, praeter laudis nullius avaris, negatum tamen Romanis rebus multis et negotiis implicitis.

VI

Tertia et postrema «Artis poëticae» pars (vv. 295-476) tractat de poëtae formatione, «quid alat formetque poëtam». Eadem lex moderationis et temperantiae, eadem regula μεσότης Aristote-

excludit sanos Helicone poetas. (v. 296)

Horatius genio satirico praeditus simul et praceptor descriptis dextra

lica Horatium adducit loqui de eo quod in se ipse debet esse poëta atque illa quae eam ducebat cum quid in opere esse deberet, loquebatur. Procul abest Magister ab ratione Democriti, qui

utique manu tabulam Romantici poetarum:

*Bona pars non unguis ponere curat,
non barbam, secreta petit loca, balnea vitat.
Nanciscetur enim pretium, nomenque poetae,
si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. O, ego laevus,
qui purgor bilem sub verni temporis horam!
Non aliis faceret meliora poemata. (vv. 297-303)*

«Non sum ego poëta; convenit—dicere videtur Horatius—etenim sana mente utor».

Totum hunc locum et tabulam finalem in qua tragicam mortem describit sublimis poëtae qui versus suos recitat merulis intentus, scripsisse videtur saeculo XIX mediis proeliis et pugnis quibus

et classicismus et romanticismus tota artis acie maximum certaverunt certamen. Et revera maximi momenti hujus partis postremae Artis poëticae Horatianae est positio in ancipiti dominationis unius ex duobus principiis opus litterarum constituentibus:

*Natura fieret laudabile carmen in arte
quaesitum est. (v. 408-409)*

Lis harmonice definienda Horatio dabatur. Ibi procul dubio est quaerenda

artis classicae ratio: in harmonia utriusque principii, in illo «conjurat amice»

1) Poetica, 1449, 4, 20.

Horatiano. Sine dubitatione illis Horatii temporibus non deerant qui ex Musarum afflato omnia exspectabant atque duriora credebant omnia illa Horatiana praeccep-

Scribendi recte sapere est et principium et fons, (v. 309)
et maxime scripta nonum in annum premendi membranis intus posita, et quod non liceret in publicum prodire opus quin in manus descenderet ejusdam Mecii aut alterius conspicui judicis.

Contra studium,⁽¹⁾ contra regulas, contra censuram signum extulit seditio romantica et procul dubio huic libertatis motui debentur plures artisticae inventiones; attamen id animo fixum tenemus: classicismum, quem seditio illa de loco deturbavit, nihil esse praeter umbram classicismi veteris, legis scilicet aeternae harmoniae quae totam informat Epistulam ad Pisones. Lex illa est universalis, cui se subjecere debet omnis schola litteraria. Ideo post belli fragorem ob Romanicam pugnam saeculo XIX commissam gravis atque festiva vox auditur

ta aut consilia, limandi scilicet semel atque iterum opera litteraria et sapiendi antequam quis operi manus admoveat:

Praeceptoris juvenum Pisonum, eadem auctoritate praedita quam audierunt juvenes Romani.

Hanc nostram igitur lucubrationem iis verbis claudere possumus quibus invimus ex Marcellino Menendez Pelayc desumptis: «Ea est jurium atque officiorum tabula vere mirabilis, cujus juventam nec saecula decem et novem potuerunt labefactare et hodieque eodem virore gaudet atque tempore quo fuit promulgata».

Attamen supra varietatem et similitudinem regularum praceptorumque confusione effertur atque observatur lex una, eaque universalis aeternae harmoniae quae pulcritudinis est genitrix et artis anima.

(1) In memoriam revocemus nobilem nostri Exproncedae verbum:
«Yo con erudición /séudito sabría/»

Horatius fabularum scriptor

Gregorius Martínez Cabello, C. M. F.

Litterarium Horatii opus, pulcherissimum est adamas atque pretiosissimus, tot faciebus vividissime coruscans, quot fuerer genera Horatianae poëseos. Hâc odarum splendore fulget, illac elegiae jubare micat, istac nitore satirarum renidet, alia didascali lumine poëmatis elucet. Summus ergo in omnibus poëticis generibus Horatius poëta censetur; certe primus est in lyrico, ast fortassis in didascalico non alter. Hic enim Venusini vatis didascalicus character satis a criticis litterariis disquisitus est, parum tamen adspicetus hujus characteris mythographicus. »Idem vero critici Autores, ait A. Pierron,¹ qui in caelum Horatium ut morallem philosophum tam justis et debitibus, tamque splendidis amplissimisque præconiis extollunt, Romanae fidicem lyrae cunctarum fabellarum venustissimas quae toto saeculorum decursu lingua Latinâ scriptae sunt, exarasce obliviscuntur».

Idecirco operae pretium est, ut Horatii amici tamquam primum elegantissimumque omnium mythographorum seu fabularum scriptorum Latinorum legentibus eum proferentes, hanc eidem gloriam in ima oblivionis scrobe sepultam reddere satagamus.

Adserentium in primis sententia rejienda est scripsisse fabulas, ingenio tanti poëtae indignissimum esse, nam inutile et exiguum aut vile immerito hoc litterarium genus audent judicare, opinione L. A. Seneca fulti fabulas inep-

tias² vocantis; sed in gravissimo errore isti versari videntur. Inutile siquidem genus litterarium esse nequit quod aptius tum ad veritates morales edocendas, tum ad pravos mores corrigendos, existimat. Utrumque sane fabula praestat. «Fabula enim, ajebat S. Ambrosius,³ etsi vim veritatis non habeat, tamen rationem habet, ut juxta eam possit veritas manifestari». «In quo genere, addidit S. Augustinus⁴ singendi humana etiam facta vel dicta irrationalibus animantibus et rebus sensu parentibus homines addiderunt, ut ejusmodi factis narrationibus, sed veracibus significationibus, quod vellent commendatius intimarent... ut apud Horatium mus loquitur muri et mustela vulpeculae, ut per narrationem factam ad id quod agitur, vera significatio referatur». Fabulas existimo necessarias et perutiles, inquit Dominicus Nannus,⁵ non ex eadem causa qua poëtis, sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint et ut dicentem et audientem in rem præsentem adducant». Quapropter, scripsit L. Beyerlinck,⁶ veritatem magis etiam quam ceteri poëtarum videtur attingere fabularum scriptor... iste vero sermonem præponens, quem ita ut est fabulosum esse quisque novit, aliquid vere dictum de rebus non veris esse demonstrat».

Fabula quoque plurimum valet ad pravos mores corrigendos. Fabularum scriptor vitium impugnat, dixit D. Co-

(1) A. Pierron, *Histoire de la littérature romaine*. Chap. XXVII. VI. pg. 375.—(2) L. A. Seneca, *De Beneficiis*. Lib. I. IV. Pag. 265. (Edictio Antuerpiensis 1615).—(3) D. Ambrosius. *De Officiis*, Lib. III.—(4) S. Augustinus, *Contra Mendacium*. XXVIII.—(5) Polyanthea Universalis. *Fabula*, pag. 443.—(6) *Magnum Theatrum Vitae Humanae*, *Fabula*, pag. 501-502.

lonia, ¹ quasi aliud agens ac veluti per cuniculos et monitorum austoritatem condimento fabularum mitigat, ut nempe captus ac delinitus innoxiae voluptatis

illecebris, animus salutarem medicinam libenter admittat, ut sapienter monet Lucretius:

*Nam veluti pueris absinthia taetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum actas improvida ludificetur
Labrorum tenuis; interea perpetet amarum
Absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat.*



Neque vilis aut exiguis labor ratione decipientis facilitatis fabula dicenda est. Legito quod opere quodam nondum edito ² de hac quaestione scribere ausi sumus: «Cave tandem credas, esse fabulam facili compositione poēma; est contra profeō difficillimum, nam exigit in fabulatore spiritum maximae observationis ac reflexionis; ingenium acutissimum ad rerum analogias detegendas; magnum intellectum ad educenda pulca et moralia principia ex actionibus forte nugacissimis, ordinariis eventibus, inanibusque dictis; summamque perspicacitatem ad propriam indolem unicuique tribuendam, claramque cognitionem omnium fabulae regularum atque solertiam in recta eaurumdem adimpletione.»

Ipsa quidem sua fabulae simplicitas est cautes eminentior in quam crebro hujusmodi scriptores sese allidunt. Pauci enim sunt fabulatores qui hoc genere litterario aeternum gloriosumque nomen sibi ubique acquisiverint.

His vero de utilitate atque fabulae praestantia praemissis, ad hujus articuli scopum redeamus. Nullus erit eruditus censor litterarius qui affirmare audeat

Graecum apogenum a poētis Latinis non esse ad Phaedri tempora usque imitatum. At enim «non tantum inter Latinos fabularum scriptores, ait A. Pierron, ³ Phaedrus vetustior non est, verum neque etiam primus ingenio aut operum perfectione». Pluribus jam annis antequam in lucem Phaedri fabulae prodirent, (nam decem et octo annis ante illius adventum, mortem Horatius oppetiit), uterque tum satirarum tum Epistolarum liber in quo omnes Horatianae fabulae reperiuntur, Romae erat notus atque regustatus. Id ipsum enim opere supra enuntiato jam declaravimus, dum scripsimus: «Non fuit quidem Phaedrus primus Latinus poēta qui fabulas scripsit, ante tamen Horatius indirecēt atque in modum exempli suis operibus adjunxit. Lege in suarum fabularum praefatione F. Aviani testimonium: «Verum has pro exemplo fabulas et Socrates divinis operibus indidit et poēmati suo Flaccus aptavit quod in se sub jocorum communium specie, vitae argumenta contineant». Paucas certe numero fabulas Horatius composuit, sed elegantia et lepore omnes aliorum fabulatorum exsuperant et commendantur.

(1) *D. Colonia. De Arte Rhetorica. Cap. I. pag. 22. (Editio Complutensis, 1796.)—(2) «De Arte Poeticae Latinae Principiis Libri V., Lib. IV, Cap. III. Art. II, pag. 48.—(3) A. Pierron. Loc. Cit.*

Decem et septem praecipuas a se inventas et quasdam ex Aesopo, Stesicharo et Babria selectas reliquit. Cuncta ferme fabularum genera Horatius adhibuit, sed parabolas praesertim coluit. Hoc igitur modo omnes Horatianae fabulae dividi

possunt: duodecim sunt parabolae, quatuor apologi, una est symbolum seu fabula libystica.⁽¹⁾

Breviter jam et summatim Horatianarum unamquaque fabularum juxta nuper statutam divisionem exponamus.

PARABOLAE HORATIANAE

I. *De miserrimo avarorum fine.* «Quidam Ummidius adeo erat dives ut nummos metiretur; ita tamen sordidus, ut se melius servo numquam vestiret; metuebat usque ad supremum tempus ne penuria vietus se opprimeret; at liberta fortissima Tyndaridarum hunc securi medium divisit».⁽²⁾

II. *De injusto faeneratori.* «Fufidius dives agris, dives nummis positis in faenore timet fammam vappae et nebulonis. Hic quinas mercedes capiti execusat atque quanto quisque est perditor tanto acrius urget: nomina tironum veste virili modo sumpta sub duris patribus sectatur. At in se, dices, pro quaestu sumptum faciet. Hic? Minime. Vix credere possis quam tibi sit inimicus. Si quis nunc quaerat: quo res haec pertinet...? Illuc... Moralis Sententia: «Dum vivant stulti vitia, in contraria currunt». ⁽³⁾

III. *De Murmuratore.* «Maenius male de Novio absenti loquens ab audiente corripitur. Heus, tu te ignoras? An putas te, ut ignotum a me, dare nobis verba? Egomet mihi ignosco, inquit Maenius. Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari. Cum tu lippus inunctis oculis tua mala pervideas, cur tam acutus in vitiis amicorum cernis? At tibi contra eveniet... Moralis sententia:

«Ut alii quoque tua vitia inquirant et detegant».⁽⁴⁾

IV. *De insano Divite.* «Omnes avari juxta Horatium insani sunt, ideoque medendum illorum insaniae, danda est ellebori multo, pars maxima avaris. Dittissimus Staberius omnium suorum relictorum bonorum summam in suo se pulcro heredes caelare coegit, qui ni fecissent, essent damnati, centum paria gladiatorum atque epulum arbitrio Arii, quantumque frumenti Africa metit populo dare. Quare hoc fecit...? quod ingens vitium pauperiem credidit, quoad vixit. Sicque dicebat... omnis enim res, virtus, fama, decus, divina, humanaque pulcris divitiis parent: quas qui construxerit, ille clarus, fortis et justus erat. Sapiens etiam et rex et quidquid volet».⁽⁵⁾

V. *De miserrima avarorum vita.*⁽⁶⁾ «Opinius auro et argento ditissimus miserrimam ducebat vitam, tantaque fame cruciabatur, ut tandem grandi lethargo oppressus sit. Heres tum laetus ovansque circum loculos et claves currebat. Medicus vero probus et ingeniosus hoc modo illum excitavit. Jubet mensam ponit atque effundi saccos nummorum et accedere plures ad numerandum. Hisque vocibus mox expergefactus est. Ni tua custodias, jam haec auferet heres. Men'

(1) Libysticam vocat S. Isidorus Hisp. illam fabulam in qua actores sunt entia rationabilia atque irrationalibia aut forte inanimantia. Lib. I, Etymologiarum, cap XXXIX, Grammatica.—(2) Lib. I, Satyr. I^a V. 92, 100.—(3) Lib. I, Satir. II^a VV. 12, 24.—(4) Lib. I, Satyr. III^a. V. V. 21, 28.—(5) Lib. II, Satyr. III^a V. V. 82, 98.—(6) Lib. II, Satyr. III^a V. V. 142, 157.

vivo. Quanti ergo? Octussibus. Eheu...!
Quid refert morbo, an furtis peream rapinis...?

VI. *De diversa filiorum indole.*
«Servius Oppidius censu antiquo dives duobus natis duo praedia Canusii tradidisse fertur. Vocatis ad lectum dixit mōriens. Te, Aule, esse prodigum cognovi, te autem, Tiberi, avarum. Cave ne tu patris bona minuas, tuque ne facias

majus id quod pater putat esse satis et natura coērcet. Numquam vos titillet gloria; si aliquis vestrum fuerit aedilis aut praeator, esto instabilis et maledictus. Si vero tu bona perdas in cicere faba et lupinis, ut in circo latus spatiere atque aeneam in eo statuam habeas, nudus agris, nudus nummis sis, stulte, paternis¹».

VII. *Scurra Volanerius. Postquam illi justa chiragra*
Contudit articulos, qui pro se tolleret atque
Mitteret in pbinum talos, mercede diurna
Conducum pavit: quanto constantior idem
In vitiis; tanto levius miser ac prior ille,
*Qui jam contento, jam laxo fune laborat*².

VIII. *Calaber et Hospes. Lepida et*

venustissima fabula. Calaber quidam in

domum viatorem recepit, illumque puris vesci jubet... Vescere, sodes.

Jam satis est. At tu quantum vis tolle. Benigne
Non invisa feres pueris munuscula parvis.
Tam teneor dono quam si dimittar onustus.
Ut libet, haec porcis hodie comedenda relinquis.

Sententia moralis: Prodigus et stultus donat, quas spernit et odit. Haec seges ingratos tulit et feret omnibus annis³.

IX. *Philippus et Vultejus. Philippus causidicus ab officiis rediens virum quemdam otiosum ac gaudentem inventit; postquam ejus nomen exquisivit, ad cenam invitavit, at vero ipse ausus accedere non est. Altero die vilia scruta vendentem occupat. Denuo ad mensam invitat, tandem ad cenam venit. A Philippo etiam postea, ut sibi agrum meretur, septem milia sestertia accepit. Tum igitur ex nitido cive rusticus fit atque amore habendi senescit. Mox ta-*

men eidem terga fortuna dedit. Oves furto, capellae morbo perierte. Seges apem mentita est atque bos enectus arando. Tunc desperatus Vultejus ad Philippum accedens inquit... «Priori et beatiori vitae me redde». Hac morali sententia haec pulchra parabola clauditur. «Mentiri se quemque suo modulo ac pede verum est⁴».

X. *De Maenio Helluone. Maenius omnibus paternis atque maternis bonis absumptis urbanus vagusque scurra haberit coepit. Utpote qui praesepe certum non teneret dictariis, opprobriis et nequitii sibi a civibus exquirebat cibum; hic ubi nihil aut paullum suae nequi-*

(1) Lib. II, Satyr. III.^a V. V. 168, 184.—(2) Lib. II, Satyr. VII. V. V. 15, 20.—(3) Lib. I, Epist. VII^a. V. V. 14, 21.

—(4) Lib. I, Epist. VIII.^a V. V. 46, 98.

tiae fautoribus et timidis abstulerat, quod esse satis tribus ursis cenebat et dicebat... «Ventre nepotum lamna candente urendos ».

XI. *De Milite Luculli.* Noctu Luculli miles stertens collectis viaticis ad assem spoliatus est. Post hoc vehemens lupus factus et sibi et hosti pariter ira-

tus loco summe munito multarumque rerum divite validum hostium praesidium acer jejunis dentibus dejecit. Ad castellum vero expugnandum missus et valde a praetore hortatus, tunc ignavo ac timido animo sese estendebat, illucque ire renuebat. Quid stas strenue miles...

«*Ibit eo quo vis qui zonam perdidit*», inquit ².

XII. *De insano in theatro vacuo.* Hanc cogitationem exprimere vult Horatius hac parabola: «Mentis illusiones aliquotiens beatam reddunt vitam, ideoque quaedam est crudelitatis species ipsas ab illis removere». Fuit Argis

quidam insanus vir, nobilis bonusque praeterea pater, maritus, hospes, vicinus qui in vacuo theatro sedens, laetus magno plausu tragoedos quos se exaudire credebat, prosequebatur. Hic ubi insaniam elleboro expulit...

*Et reddit ad esse: «Pol me occidistis, amici,
Non servatis, ait, cui sit extorta voluptas
Et demptus per vim mentis gratissimus error».*

MORALIS SENTENTIA. *Nimirum sapere est abjectis utile nugis,
Et tempestivum pueris concedere ludum* ³.

APOLOGI HORATIANI

I. *Rana et ejus mater.* Minor cum majore certare nequit. Absentis ranarum pullis vituli pede pressis, unus ubi effugit matri denarrat, ut ingens bellua cognatos eliserit. —Quantane, sufflans se mater interrogat, num sic magna fuisse? — Major, major; non eris par, inquit ranula, etiam si te ruperis. «O insane major parcas tandem minori».⁴ Apposite hunc apologum Phaedrus in Fabula XXIV Libri I imitatus est.

II. *Mus rusticus et Mus urbanus.* Moralem sententiam praeposuit Horatius... Nullus divitiis lautoque cibo est dicendus beatus. Mus rusticus paupere cavo urbanum murem accepit. Isti ad

edendum cicera, avenam, arida acina, frustaque semesa lardi tradidit. Urbanus tandem ad rusticum murem talia fastidiens, quid te juvat, dixit, amice, dorso praerupti montis vivere patientem. Urbem petamus et lautiorem vitam ducemus. Cito tamen rusticus illa meliore vita, sed periculis et incursibus canum et felum plena defatigatus valedixit amico inquiens. «*Me silva cavusque tutus ab insidiis tenui solabitur ervo*».⁵

Hujus apologi auctor est Graecus poëta Babria, sed tanto lepore tantaque vivacitate illum Horatius exposuit, ut nullus aliis ad talem perfectionem pervenerit.

(1) Lib. I, Epist. XV V, V, 25-40.—(2) Lib. II, Epist. II, V, V, 26-40.—(3) Lib. Epist. II, V, V, 228-242.—(4) Lib. II, Satyr. III, V, V, 314-326.—(5) Lib. II, Satyr. VI, V, V, 74-117.

III. *Vulpes et Leo.* Fame infirmabatur leo et ad se visendum vocavit cetera animantia, ut sine labore venari atque edere possit. Vulpes aegroto cauta leoni respondit: «ad te introire non audeo, quia me vestigia terrent omnia adversum te spectantia et nulla retrorsum¹. Aesopus hujus fabulae est auctor.

Otia divitiis Arabum liberrima muto.²

SYMBOLUM SEU LIBYSTICA FABULA

Cervus, Equus et Homo. Cervus melior pugna pellebat equum communibus herbis, hic in certamine minor hominis opem imploravit, hasta homo armatus in eum ascendit atque equus frenum recepit. Voluit, post victoriam, depellere dorso socium et frangere frenum, neque valuit atque in aeternum libertatem amisit. Sententia moralis. *Sit omnis homo laetus, suaque sorte contentus, ut sapienter vivere queat.*³

Auctor hujus libysticae fabulae fuit Graecus poëta Stesichorus.

Breviter tandem ac summatim omnium praecipuarum Horatii fabularum argumentum nuper exposuimus quod primo intuitu lector cognoscere valeat; ad perfectam vero earundem cognitionem illi opus erit, integras in Libris Satirarum et Epistolarum legere. Ibidem modo totus expressionum lepor, tota dictiorum elegantia, tota verborum proprietas, tota idearum imaginumque venustas, totum conceptuum acumen, tota altitudo cognitionum, totusque stili nitor poterunt degustari.

IV *Vulpecula et Mustela.* Forte per angustam rimam in cumeram frumenti tenuis vulpecula repserat, pastaque corpore pleno frustra ire rursus foras tendebat; cui mustela procul, si vis, ait, istinc effugere, macra cavum repetes artum quem macra subisti, *Sententia moralis:*

Observandum tamen est, metricam Horatianorum versuum formam externam non rite interdum esse conformatam atque pauperiorem ac duriorem quam pro tanti poëtae excellentia. Haec forsitan severa sententia (meo vera tenui judicio) de versibus Horatianis alibi prolatâ in multis confirmari videtur, nam crebro neglectis, hypermetrisque versibus, nimiis synaloephis aut etiilipsibus, monosyllabis non paucis, illepidis vocabulorum divisionibus, immoderato hyperbato quod in synchysim, obscuram reddentem cogitationem convertitur, abuti solet. Quibus omnibus non obstantibus, semper inter summos atque optimos Latinorum cunctorum poëtarum, si fortassis non primus neque forsitan secundus, annumerabitur.

Tot igitur in Horatianis libris pulcritudines deteguntur, tot facetae degustantur, totque sublimes sententiae inveniuntur, ut magna voluptate legantur, maximoque dolore relinquantur.

(1) Lib. I, Epist. I, 70-75.—(2) Lib. I, Epist. V, V, 29-36.—(3) Lib. I, Epist. X, V, V, 34-44.

Horatius poëta philosophus

Eulogius Nebreda, C. M. F.

Recurrente anno bis millesimo ab Horati Flacci nativitate, etiam nos pro tenuitate nostri ingenii in illius laudem ceteram aliquam (*parvos parva decent*) lebrandam aliquam (*parvos parva decent*) conscribere adgredimur. Vates ipse, famam praesentiens futuram, scribebat:

Usque ego postera crescam laude recens¹

Novis in dies laudibus cumulabora posteris, sique velut innovata mei memoria semper inclarescat, nunquam

senescet. Hanc penes homines immortalitatem egregia ejus opera merito consecuta sunt.

*Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.²*

Durant videlicet monumenta literarum plus quam aereae statuae ad memoriam collocatae; et plantas, quae seruntur ingenio, nec tempestas nec vetustas consumet.³

Multiplici sub consideratione seu respectu et facie poëta noster inspici potest; fuit namque celcissimus poëta, adeo ut in ipsum aptissime conveniat poëtae descriptio, quam tradit ipse pindarico more canens:

*...Neque enim concludere versum
Dixeris esse satis; neque si quis scribat, uti nos
..... putas bunc esse poëtam.
Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis bujus honorem.⁴*

Verus ergo egregiusque poëta magnum requirit ingenium, inspiratam mentem, verbum eloquentissimum. At nos tamen Horatianam philosophiam celebrabimus; etenim fuit etiam Horatius magnus philosophus, ingenio praeditus non inculto, non hirto, sed acri, cum pipere et sale, non tamen nigro, ad notandos hominum mores praecipuus, ut inquiebat Quintillianus.⁵

Quocirca a nostro philosopho abest illa philosophorum lenitas, de qua sic Tullius scribebat: *mollis est enim oratio philosophorum et umbratilis, nec sententias nec verbis instructa popularibus, nec vincita numeris, sed soluta liberius: philosophia autem Horatiana popularis est, instructa magis exemplis quam speculativis doctrinis, vincita pulcherrimis numeris et versibus, unde gratius sententiae bibuntur animis quo peritus adhaerent.*

(1) Od. XXX, 7-8.—(2) Od. I, XXX, 1-5.—(3) Cic. de legib. I, 1.—(4) Sat. I, IV, 39-43.—(5) Quintil. Institut. X. De Julio Floro dicebat Horatius, Ep. I, III, 22-22. *Non tibi parvum
Ingenium, non incultum est et turpiter hirtum.*

Cujus generis sit haec philosophia Horatiana postea dicetur. Jam pro communitate *Ephemeridem* legentium PALAESTRAM LATINAM, sequentia capita evolvemus sine nitore et palaestra: 1) Horatii juventutem, studia, philosophiam: 2) Quid circa Deum ejusque Providentiam

Horatius docuerit; 3) Conversionem Horatii, quam vocant. Brevitate consulere curabimus simul et perspicuitati, ne id nobis accidat quod Venusinus poëta inquietabat: Brevis esse labore, oscurum fio.¹

I. HORATII JUVENTUS, STUDIA, PHILOSOPHIA

1. Natus est Horatius an. 689 ab Urbe condita, an. 63 ante Christum,

Tu vina Torquato move consule pressa meo²

O nata mecum consule Manlio;³

mortuus autem est an. 746 mense novembri, ideoque priusquam Christus nasceretur, aetate an. 57.

Nil me paeniteat sanum patris bujus.⁵

Ipsemet poëta originem, studia, conditionem suam describit versibus egre-

Nunc ad me redeo libertino patre natum,

Quem rodunt omnes libertino patre natum,

Nunc quia sim tibi, Maecenas, convictor: at olim

Quod mibi pareret legio Romana tribuno.⁶

Duabus ex causis rodebant Horatium ejus inimici; quoniam fuerat Romanæ legionis tribunus in bello civili, et quod tunc erat Maecenae convictor et

Non ego me claro natum patre, non ego circum

Me Saturejano vellari rura caballo,

Sed, quod eram, narro... Magnum hoc ego duco

Quod placui tibi, qui turpi secernis honestum,

Non patre praeclaro, sed vita et pectore puro⁸

2. Quibus ille studiis ab ineunte didicit ergo Venusiae, Romae, Atheneate sese imbueret, egregie exponit; ad-

Si neque avaritiam, neque sordes aut mala lustra

Objicit vere quisquam miki, purus et insons,

Ut me collaudem, si et vivo caris amicis;

consulatu L. Manlii Torquati et L. Aurelii Cottae juxta illos versus nostri poëtae:

Prodiit in lucem Venusiae, silvis circumdatae, Appuliae oppidi⁴ e patre liberto ac paupere, in quo nunquam erubescit, immo addit amanter:

giis: summatim haec omnia colligimus.

amicus; ipse tamen invidos spernebat nec sumebat superbiam quaesitam meritis.⁷ Ideo prosequebatur:

(1) Art. p. 25-26.—(2) Od. V, XIII, 6.—(3) Od. III, XXI, 1; amphora.—(4) Od. I, XXVIII, 25-27.—(5) Sat. I, VI, 89.—(6) S. I, VI, 45-48.—(7) Od. XXX, 14-15.—(8) S. I, VI, 58-64.

*Causa fuit pater his, qui riacro pauper agello
 Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
 Quo pueri magnis e centurionibus orti,
 Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto,
 Ibant octonis referentes idibus aera;
 Sed puerum est ausus Romam portare docendum
 Artes, quas doceat quivis eques atque senator
 Semet prognatas...¹*

Non tantum pater ausus est filium Romam portare docendum; verum ipsum comitabatur ad praeceptores, ne moribus corrumperetur, qua de causa optimus pater a filio magnis laudibus merito cumulatur:

*Ipse mibi custos incorruptissimus omnes
 Circum doctores aderat. Quid multa? pudicum
 (Qui primus virtutis bonos) servavit ab omni
 Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi;
 Nec timuit sibi ne vitio quis verteret, olim
 Si praeceo parvas aut, ut fuit ipse, coactor
 Mercedes sequerer; neque ego essem quaestus: at hoc nunc
 Laus illi debetur et a me gratia major.
 Nil me paeniteat sanum patris hujus, eoque
 Non (ut magna dolo factum negat esse suo pars,
 Quod non ingenuos habeat clarosque parentes)
 Sic me defendam. Longe mea discrepet istis
 Et vox et ratio...²*

Nullum dubium quin magnus Horatius fuerit optimus amantissimusque filius, qui propterea et patri laudes debitas tribuit et majorem gratiam reddit.

*Romae nutriti mibi contigit atque doceri
 Irratus Grajis quantum nocuisset Achilles;
 Adjecere bonae paullo plus artis Athenae;
 Scilicet ut vellem curvo dignoscere rectum,
 Atque inter silvas Academi querere verum.³*

In hujusmodi locum ait quidam commentator: studiorum olim initium ducebant pueri ab Homeri Achille; unde proverbium de rudi et illiterato: *Ne iratum quidem Achailem novit.*

Quinam vero ejus doctores Athenis

Dein Athenas profectus, septem ibi annos philosophiae potissimum morali operam navavit audivitque philosophos Platonicos, quemadmodum ipse testatur inquiens:

fuerint non constat, neque de illis uspiam mentionem habet ipse poeta: ceterum hic verba Ciceronis referre possemus, quibus filium saepe admonet, ut philosophiae disciplinam addiscendam connitur: «Te annum jam audientem

(1) S. I, VI, 68-78.—(2) S. I, VI, 81-93.—(3) Ep. II, II, 41-45.

Cratippum idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis¹; Horatius vero scientiae adipiscendae gratia hujusmodi iter suscepérat.

*Hos inter dux ille Plato celcissimus ibat
Cujus ab ore melos manabat, quale Academi
Arbustis lepida modulantur voce cicadae.*

Cicadae Athenienses nostris longe melius canere profecto debebant; secus parum honoris Platoni tribuit poëta.

3. Insignes Athenae plus doctrinæ Horatio contulerunt, nimirum, ut vellet

*Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis.²*

Ideo legebat Homerum, qui velut loculentis quid fugere, quid sectari de- optimus scriptor epicus exemplis ostendit beas:

*Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romae, Praeneste relegi:
Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit³*

Totis viribus studio disciplinae moralis incumbebat, eamque cælestem bat:

*Nunc itaque et versus et cetera ludrica pono,
Quid verum atque decens curro et rogo et omnis in hoc sum⁴
Quo te cælestis sapientia duceret, ires.⁵
Nunc agilis fio et messor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles.⁶*

4. Horatius habetur communiter uti philosophiae epicureæ sectator; ne- que ab hac opinione abhorrire videtur

*Me pinguem et nitidum bene curata cute vise,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum⁷*

Verum hoc non ex animi sententia, sed joco et sale Horatius dixisse perhībendus est; ipsemēt namque fatetur nul-

Adjungit praeterea se inter silvas Academi verum quæsivisse. Erat enim Academia locus Athenis suburbanus, arboribus multis amoenus, illustrium etiam virorum monumentis exornatus, ubi philosophiam primus docuit Plato. Discipuli Platonis dicebantur Academicī de quibus Laertius non sine lepore dixit:

curvo discernere rectum, hoc est, pravum nosse ab honesto distinguere. Verum haec scientiae moralis studia totam per vitam est prosecutus, quemadmodum ipse testatur saepius:

*Ingenium, sibi quod vacuas desumpsit Athenas
Et studiis annos septem dedit, insenuitque
Libris et curis.²*

sapientiam sicuti et virtutem appellabat:

*Nunc itaque et versus et cetera ludrica pono,
Quid verum atque decens curro et rogo et omnis in hoc sum⁴
Quo te cælestis sapientia duceret, ires.⁵
Nunc agilis fio et messor civilibus undis,
Virtutis verae custos rigidusque satelles.⁶*

quod ipse poëta, Tibullum consolans: scribit:

lum doctorem sequi, in nullius magistri verba jurare:

(1) Cic. De Offic. I, 1.—(2) Ep. II, II, 81-83.—(3) Ep. I, II, 1-4.—(4) Ep. I, I, 10-11.—(5) Ep. I, III 27.—(6) Ep. I, I, 16-17.—(7) Ep. I, IV, 15-16.

*Condo et compono quae mox depromere possim:
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare uter,
Nullius addictus jurare in verba magistri,
Quo me cuncte rapit tempestas deferor hospes.*

Ita poëta fidei philosophicae professionem emittit; cum vero addit, quo lare utar, idem valet atque qua schola, qua secta philosophica utatur, sicut vocat alibi scholam vel domum Socraticam, ² sicut Cicero Aristotelis sectatores appellat familiam peripateticorum. ³

Quocirca interdum Stoicos, interdum Epicureos inridet egregie: ⁴ ipse vero sibi potuit assumere, quod Tullius scribit:

II. QUID DE DEO EJUSQUE PROVIDENTIA SENTIAT HORATIUS

5. Existentiam Dei agnoscebat Epicurus, verum certo negabat divinam providentiam; ⁷ quam quidem sententiam

*Nam bene qui didicere deos securum agere aevum.⁸
Epicureorum foetorem redolent verba Horatiana quae sequuntur:*

Credat Judaeus Apella

*Non ego: namque deos didici securum agere aevum,
Nec, si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto caeli demittere tecto⁹*

Sine dubio loquitur hic Epicureus philosophus; verum haec scribebat circa an. 727, quando poëta scilicet aetatem agebat duodetriginta annorum; postea hanc turpem sententiam cum verbis tum operibus certo recantavit.

Etenim Venusinus poëta Dei existentiam admittit, immo insinuat divinam naturam esse individuam, ¹⁰ etiamsi possit mundi imperium cum aliis dividere; ac pluries canit pulcherrime divinam pro-

«Nullis unius disciplinae legibus adstricti, quibus in philosophia necessaria pareamus; quid sit in unaquaque re maxime probabile semper requirimus: ⁵ et rursus: «Certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti et consecrati sunt eaque necessitate consticti, ut etiam, quae non probare soleant, ea cogantur, constantiae causa, defendere». ⁶

amplectens Lucretius, more cicadum canebat:

videntiam, quae passim omnia elargitur bona et singulis personis et civitati omnique reipublicae sive imperio; divina providentia superbos demittit, pauperes sublevat, summum imperium ac dignitatem transfert, Romanum populum et punivit et gloriosum ac triumphans reddit: quare cultu et sacrificiis Deus est honorandus.

Primum omnium admittit Horatius divinam providentiam circa singulos ho-

(1) Ep. I, I, 12-15.—(2) Od. I, XXIX, 14.—(3) Cic. De divinatione II, 1. — (4) Cf. Sat. II, III; IV; in prima contra Damascum, stoicum, quod omnes homines desipiant; in altera contra Catium, epicureum, cuius philosophia tota in culina est. — (5) Cic. Tuscul. IV, 7.—(6) Tuscul. II, 2. — (7) Bréhier, Histoire de la philosophie I, p. 354-355. — (8) Lucr. VI, 57. — (9) Sat. I, V, 100-104—(10) Od. I, XII, 17-18:

Unde nil majus generatur ipso
Nec viget quidquam simile aut secundum.

De sensu horum versuum disputant interpres; mens tamen Horatii forsitan haec sit; unus tantum est Deus summus, princeps; qui res hominum ac deorum, qui mare ac terras variisque mundum temperat horis (vv. 14-16).

mines, cum agnoscit magno vitae periculo effugisse, Deo propitio:
*Di me tuentur, dis pietas mea
 Et musa cordi esto.*¹
*Me truncus illapsus cerebro
 Sustulerat, nisi Fannus ictum
 Dextra levasset.*²
Non sine diis animosus infans

*Non me Philippis versa acies retro,
 Devota non extinxit arbos,
 Nec Sicula Palinurus unda.*³

Ad Tibullum scribens ajebat:

*Di tibi formam,
 Di tibi divitias dederunt artemque fruendi.*⁴

Deus omnia gubernat, immittit imbræ, nives, diram grandinem; agit poëta noster de prodigiis mortem Caesaris secutis:

*Jam satis terris nivis atque diræ
 Grandinis misit Pater: et rubente
 Dextera sacras jaculatus arces,
 Terruit urbem.*⁵

Ideo preces in Deum laudat mala avertendi gratia, quanvis non ad amussim

*Annuit inviso Caelestum numine Rector,
 Quo tunc et tellus et horrida contremuerunt
 Aequora concussitque micantia sidera mundus.*⁶

Si enim reges divino subduntur imperio, eo magis ceteri homines: bene poëta expressit hujusmodi sententiam.

*Scimus, ut impios
 Titanas immanenque turbam
 Fulmine sustulerit caduco,
 Qui terram inertem, qui mare temperat
 Ventosum et urbes regnaque tristia.
 Divosque mortalesque turbas,
 Imperio regis unus acquo.*¹⁰

orationis naturam exponat:

*Quem vocet divum populus ruentis
 Imperi rebus? prece quia fatigent
 Virgines sanctæ minus audientem
 Carmina Vestam?*⁶

6. *Deus in ipsos reges exercet imperium;* nemo mortalium quantumvis potens, quamvis supra potestate gaudeat, exemptus est a lege divina; Deus namque vindic est omnium. Dicedit Plautus: *Quasi tu nescias repente ut emoriantur humani Joves,* id est, reges et principes. Magnifice igitur canit poëta noster:

*Regum timendorum in proprios greges,
 Reges in ipsos imperium est Jovis,
 Clari Giganteo triunpho,
 Cuncta supercilio moventis.*⁷

Suetonius dicebat quoque: Est in genere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.⁸

Notetur sententia Homerica, *cuncta supercilio moventis;* indicat sublimi modo Dei omnipotentiam. Catullus etiam cecinit egregie:

*Annuit inviso Caelestum numine Rector,
 Quo tunc et tellus et horrida contremuerunt
 Aequora concussitque micantia sidera mundus.*⁹

Hic poëta philosophus iterum videatur agnoscere unum solum Deum, a quo pendeat universi gubernatio et imperium.

7. *Divina providentia donat propria terris magnos viros ac tuetur arma Romana adversus Carthaginenses.* Nihil Caesare grandius aut pretiosius numina propitia terris donaverunt aut donabunt, etiamsi revocetur saeculum vetus aureum:

(1) Od. I, XVII, 13-14.—(2) Od. II. XVII, 27-29; cf. Od. XIII.—(3) Od. III, IV, 26-28.—(4) Od. I, II, 1-4.—(5) Ep. I, IV, 6-7.—(6) Od. I, II, 25-28.—(7) Od. III, I, 5-8.—(8) Suet. Iul. Caes. c. 6.—(9) Catull. 64, 204.—(10) Od. III, IV, 42-48.

*Quo (Caesars Aug.) nil majus meliusve terris
 Fata donavere bonique divi
 Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
 Tempora priscum.¹*
*Nil Claudioe non perficiunt manus
 Quas et benigno numine Juppiter
 Defendit et curae sagaces
 Expediunt per acuta belli²*

Deus populos religiosos adjuvat, auget, amat; et quoniam populus Romanus pius est in deos, quos observat et colit idcirco imperium orbis illi donaverunt.

*Diis te minorem quod geris, imperas.
 Hinc omne principium buc refert*

[exitum³]

Deo accepta refer, Romane, tum imperii primordia, tum propagationis et amplificationis incrementa et felicem quarumcunque rerum exitum.

Contra religio neglecta causa fuit calamitatum, quas tulit Italia.

*Diis multa neglecti dederunt
 Hesperiae mala luctuosae⁴*

Deus igitur vitia tum singulorum hominum tum ipsorum populorum juste punit. Mortale genus ob sua crimina Deum ad iram provocat movetque.

*Audax omnia perpeti
 Gens humana ruit per vetitum et nefas
 Audax Iapeti genus
 Ignem fraude mala gentibus intulit.*

*Semotique prius tarda necessitas
 Leti corripuit gradum*

*Nil mortalibus arduum est.
 Caelum ipsum petimus stultitia neque
 Per nostrum patimur scelus
 Iracunda Jovem ponere fulmina⁵*

8. *Oratio sive privata sive publica fidei professionem in divinam providentiam mirifice testatur. Horatius autem precabatur ad bona temporalia obtinenda et carmen sacculare ad precem publicam composuit.*

*Per meos fines et aprica rura
 Lenis incedas abeasque parvis*

*Aequus alumnis;
 Si tener pleno cadit baculus anno,
 Larga nec desunt Veneris sodali
 Vina craterem; vetus ara multo*

*Fumat odore⁶
 Diebus festis cessabat labor et pagani ipsi festa haec agentes laetitiae vacant.
 Ludit herboso pecus omne campo,
 Cum tibi nonae redeunt decembres:
 Festus in pratis vacat otioso
 Cum bove pagus⁷*

*Si praeterea deos rite colueritis et pie supplicaveritis, licet modica offerentes munera, placatos illos habebitis.
 Caelo supinas si tuleris manus,*

*Nec pestilentem sentiet Africum
 Fecunda vitis... Te nibil attinet
 Tentare multa caede bidentium*

*Immunis aram si testigit manus,
 Non sumptuosa blandior hostia
 Mollibit aversos Penates
 Farre pio et saliente mica⁸*

(1) Od. IV, II, 37-40. — (2) Od. IV, IV, 73-76. — (3) Od. III. IV, 5-6. — (4) Od. III. VI, 7-8. — (5) Od. I, III, 25-40.
 (6) Od. III, XVIII, 2-8. — (7) ib. 9-12. — (8) Od. III, XXIII, 1, 5, 25-26.

Sensus videtur esse: etiamsi non offeras Deo ingentia munera, tam litabis tamque obtinebis quod postulas, exiguo quovis sacrificio, quam magno et sumptuoso; si modo vitae innocentiam et pietatem et religionem erga Deum exhibeas.

Audiamus aliam precem Horatianam, qua nihil aliud poscat ab Apolline vatum patrono praeter mentem sanam in corpore sano; non judicamus de prece, sed exsistentiam testamur.

*Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? Quid orat, de patera novum*

*Fundens liquorem?*¹

Non opimas segetes feracis Sardiniae, non grata armenta aestuosa Calabriae, non aurum aut ebur Indicum, non rura; quoniam me pascunt olivae, me cithorea levesque malvae; sed

*Frui paratis et valido mibi,
Latue, dones et precor integra*

Cum mente nec turpem sene&am

*Degere nec cithara carentem?*²

Contentus suis humilibus poderibus Deum non obtundit precibus aliis de rebus; satis beatus unicus Sabinis.³

III. DE HORATII CONVERSIONE, UT VOCANT

9. Horatiani commentatores seu interpres loqui solent de conversione nostri poetae atque ita rem evolvunt.

Horatius sua in juventute plus minusve vitiis indulxit, religionem haud coluit, in castra Epicureorum sese conjectit; mox vero ad meliorem frugem revocatus, et vitam degit morigeram, religionem in proxim deduxit, doctrinis Epicuri valedixit, uno verbo, errores recantavit et doctrinam moralem satis puram sectatus est. Quocirca de ejus salute

Multa potentibus

*Desunt multa; bene est cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu⁴.*

Postremo Carmen Saeculare est hymnus, quo fit oratio publica ad bona pro toto Romano populo adprecanda.

*Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date quae precamur
Tempore sacro*

*Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis, audi
Luna, puellas:*

*Di, probos mores docili juventae,
Di, senectuti placidae quietem,
Romuleae genti date remque prolemque
Et decus omne⁵*

Ex Horatianis sententiis ha&tenus inspe&ctis, planum fecimus, Venusinum poetam et philosophum, quod Dei pro videntiam attinet, e castris Epicureorum aufugisse. Jam in aliud procedat oratio et disputatio nostra.

bene possemus cogitare et Dantis verba usurpare:

*Vidi quattro grand' ombre a noi venire,
Sembianza avevan né trista né lieta.*

Quegli é Omero poeta sovrano:

*L'altro é Orazio satiro, che viene,
Ovidio é el terzo, e l'ultimo Lucano⁶.*

Arguit scipsum poeta, quod Epicureos secutum cultum deorum neglexerit; verum prae&stat in antecessum odem XXXVI celeberrimam proferre.

(1) Od. I, XXXI, 1-3.—(2) Od. I, XXXI, 17-20.—(3) saecul. 1-6; 34-36; 45-48.—(6) Dante, Infern. IV, 83 sqs.

Od. II, XVIII, 21-24.—(4) Od. III, XVI, 42-44.—(5) Carm.

*Parcus deorum cultor et infrequens.
Insanientis dum sapientiae
Consultus erro: nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos.*¹

Numinum rarus et remissus venerator fui quidem; parce ac rare sacrificiis ac precibus Deum colui; immo omnes religiones spernens in gravissimum errorrem impegi. Secutus est igitur Horatius insanientem sapientiam, de qua divus Paulus egregie dixit: *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*², quamque Gregorius Naziancenus vocat *insipientem sapientiam*, ἄσοφος σοφία et Augustinus *insipienter sapere*³: sapientiae ergo insanientis conoultus idem est atque *vana et*

*Fulmina gignier e crassis alteque putandum est
Nubibus exstructis; nam caelo nulla sereno,
Nec leviter densis mittuntur nubibus unquam.*⁵

Quare inquit Horatius: video non solum coactis et collisis nubibus fulgura et tonitrua fieri, sed puro etiam caelo; quod cum praeter naturam sit, divinum esse oportet; hinc ergo sapientior effectus Jovis potentiam, numen iramque revereri disco. Et poeta noster argumentum prosequitur magnificentissime.
*Quo bruta tellus et vaga flumina.
Quo Styx et invisi borrida Taenari
Sedes, Atlantesque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus,
Obscura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit: hic posuisse gaudet*⁶

Jovis fulmine summa et infima commoventur; ipsi quoque inferi, tonante Jove, obstupescunt; et limites occidentis ad mare Atlanticum concutiuntur; de-

perniciosa sapientia doctus.

Quocirca nunc retrorsum vela dat, hoc est, intelligens se a recto aberrasse cursu, in contrarium convertitur atque iterare cogitur relictos cursus; fateri cogitur hunc a Deo orbem regi resque humanas ab eo curari. Additque rationem ob quam mente mutatus est te rectam viam arripuit.

*Namque Diespiter
Igni corsuco nubila dividens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum*⁴

Etenim Diespiter, hoc est, pater diei, auctor lucis, tonavit puro ac sereno caelo; quod philosophia Epicurea non admittebat, teste Lucretio:

*primit excelsa, attollit abjecta; utque
Seneca ait,
Ima permuat brevis hora summis*⁷

Deus ergo non per signa caelestia solum, verum per magnas etiam rerum humanarum mutationes suam commosstrat omnipotentiam; quare opes, amplissimas dignitates, honores, imperium ipsum ab istis aufert, ut aliis statim conferat tradatque; hunc humiliat et hunc exaltat, inquit divinus Psaltes⁸; et Psaltria dividior, Beata Virgo, canebat; *Deposuit potentes de sede et exaltavit humiles*⁹ Magna ergo et Horatius sonavit, cum dixit:

*Et insignem attenuat Deus,
Obscura promens.*

Quoniam mihi tempus non est, finem huic inquisitioni pono.

Valete et vivite!

(1) Od. I, XXXIV, 1-5. — (2) Rom. I, 18. — (3) De Civ. Dei, XVII, XIII: *Hoc tam magnum bonum (pacis promissae) quisquis in hoc saeculo et in hac terra sperat, insipienter sapit.* — (4) O. I, XXXIV, 5-8. — (5) Lucret. VI, 245-247. — (6) O. I, XXXIV, 9-16. — (7) Senec. Thyestes, 598. — (8) Pa. 74, 8. — (9) Le. I, 50.

Horatius et Vergilius

EPODUS XVI ET ECLOGA IV

Aurelius Espinosa Pólit, S. J.

Cum duo in litteris Latinis servata sint poemata, quae patenti quodam tam verborum quam sententiarum vinculo sibi respondeant, eademque duobus viris adscribantur qui, cum Romanae poeseos existent facile principes, mutua etiam amicitiae societate vixerunt conjunctissimi, primum erat ut horum poematum collatio oriretur quasi sponte, multiplicesque a collatione hac ortae quaestiones inter pulcrarum artium cultores exagitarentur.

Meum erit in hac qualicumque commentatione, —posita accurata utriusque poematis cognitione—, ea in primis attingere quae historici in hac materia disputant, dein quae communitatis signa in utroque poemate reperiantur enumerare, quid iis colligatur tandem investigare, ut inter duos poetas uter utri exemplum praebuerit, si fieri possit, definiatur, sin minus emergat saltem fructus aliquis pro intimiore utriusque vatis cognitione.

I

Ab historicis exordium sumamus. Non enim poeseos tantum studiosi in comparanda IV Ecloga Vergiliana cum XVI Epodo Horatiana vires ingeniique acumen contulerunt; diem poetis dicunt eosque de tribunali suo citari jubent, qui poeseos juriū immemores, ea quae et divino quodam adflatū et ad sublimiorem delectionem prolata sunt, pro nudis historicis argumentis, non secus atque inscriptos lapides aut bustorum titulos, historica severitate momento suo pondabant.

Istud historicorum genus —quae maxima turba est— contenti sunt si ex utriusque poematis collatione tempus certum inferant quo unumquodque scriptum est, unde et eventus possint definire in quos poetarum dicta cadere videantur.

Sed proprii juris exagitati ultrix calida poesis historicos in pugnam caecorum adducit, in qua doctissime se mutuo

conficiunt. Quis vero non miretur quod hi qui subtilitatem prae ceteris jaſtant, et accuratissimi in rebus certo dignoscendis esse adfectant, nulla fere in re quae duo haec poemata respiciat convenire possint?

Nam ut Eclogam primum attingamus, quaere ab illis quo tempore condita fuerit. Obvia responsio videtur: in ea enim Vergilius, versibus 3 et 11, Pollionem consulem compellat; Pollio autem, in triumvirorum pactione, anno 43, in insula Lavini sancta, ¹ consul designatus erat ad annum 40 cum Cn. Domitio Calvinio.

Sed inde exsurgit difficultas quod isti consules, summos honores non legitima consuetudine a comiciis naſti, adeo triumvirorum beneplacito subiecti erant, ut nec dignitatem die debito inire possent, nec eam ad finem usque anni retinere. Conſtat sane Pollionem anno 40, consulem fuisse, sed per menses duos tantum,

(1) Cf. Appianum, B. C. IV, 2, 4.

forsan nec integros, nimirum ab ineunte Octobri, paulo post factam Brundusinam pacem, usque ad finem Novembris; tumultu enim excitato in Ludis plebeis, novi consules, P. Canidius et Cn. Cornelius Balbus Hispanus, pro uno mense Decembri suffecti sunt.¹

Quando igitur oblata Polloni Ecloga? Utrum ineunte Januario, tempore consueto ad magistratum auspicandum, an tum potius, cum illi tandem per trium viros, in concordiam Brundusi reductos, procrastinatos honores capessere licuit? Alterum inter alios affirmant Norden,² Heidel,³ Weber,⁴ et Jeanmaire.⁵ Alterum Cartault,⁶ Carcopino,⁷ Herrmann,⁸ quibus adde Olivier,⁹ Lagrange,¹⁰ et eos omnes qui putant Ecloga IV, non tam Pollionis consulatum, quam Brundusinam pacem concelebrari.

Nec minor dissentio reperitur si occasio quaeratur quae Horatium in desperationem impulerit, quae totum Epodum XVI manifeste pervadit. Perusini belli terrores ibidem referri placet tum

Jeanmaire,¹¹ tum Carcopino,¹² et etiam Kiesling¹³ et Brakman.¹⁴ Eos potius innui, qui, post caducam paucorumque mensium Brundusinam pacem, orti sunt ex retractatis armis contra Sexti Pompei classem, contendit Herrmann,¹⁵ et admittit ut possibile Carcopino.¹⁶

Si ex disputatione circa tempus quo Ecloga et Epodus confectae sunt ad rationem quae inter easdem intercedat fit transitus, apparet in hac opinionum varietate nihil certum statui posse. Ac re ipsa, quicumque Eclogam compositam putent sub fine 41, omnes eam priorem esse Epodo contendent necesse est; non autem vicissim quicumque opus Vergilianum Brundusina pace excitatum censem ideo affirmant id posterius Epodo fuisse: sic habet, exempli causa, Olivier,¹⁷ sed Herrman rem plane negat:¹⁸ sunt tandem qui decernant solis historicis argumentis nullatenus definiri posse utrum tandem poema prius existiterit: ita aperte Carcopino,¹⁹ cui consonat Faider.²⁰

II

Et sane iis qui nonnisi historicis rationibus innituntur, nec quidquam praeter historicas evidentias querunt, satius est in hac ambiguitate consistere. Ii vero

qui Eclogam et Epodium ut poemata considerant necessitate quadam premuntur ut ulteriori inquisitioni insistant. Qui enim fieri potest ut, cum tam praeter so-

(1) Cf. Dion C. XLVIII, 32, 2.—(2) Die Geburt des Kindes, pp. 6-7, n. 4 (Leipzig, Teubner, 1931 - prima editio in lucem prodit anno 1924).—(3) Vergil's Messianic Expectations. The American Journal of Philology, Vol. XLV, 3, pp. 213-214. Jul.-Sept. 1924.—(4) Der Prophet und sein Gott, p. 11 (Leipzig, Hinrichs, 1925).—(5) Le messianisme de Virgile, pp. 42-43, 55 (Paris, Vrin, 1930).—(6) Etudes sur les Bucoliques de Virgile, pp. 57, 213 (Paris, Collin, 1897).—(7) Virgile et le mystère de la IV Eclogue, 123-125, 233 (Paris, L'Artisan du livre, 1930).—(8) Les masques et les visages dans les Bucoliques de Virgile, pp. 97-98 (Bruxelles, Editions de la Revue de l'Université de Bruxelles, 1930).—(9) Les Epodes d'Horace, p. 76 (Lausanne, Payot, 1917).—(10) Le Messianisme de Virgile. Le Correspondant, 101 année, n. 1704, p. 852 n., 25 Sept. 1933.—(11) Op. laud. p. 65. —(12) Op. laud. p. 108.—(13) Q. Horatius Flaccus, 5 Ed. ad Epod. XVI (Berlin, Weidmann, 1908).—(14) Ad Vergili Eclogam Quartam. Mnemosyne, N. S. Vol. LIV, p. 18, 1926.—(15) Op. laud. pp. 97-98. —(16) Op. laud. p. 71 n. - Quæstionem relinquit etiam ambiguum T. E. Page, Q. Horatii Flacci Carminum Libri IV. Epodon Liber, pp. 492, 480 (London, Macmillan, 1920). In sententia quam Louis E. Lord refert ut probabilem, scilicet Epodum XVI pertinere ad annum 42, immorandum esse non existimavi, cum non videam unde comprobari possit. Cf. Horace as an Occasional Poet. The Classical Journal, Vol. XXXI, 3, p. 154. December 1935.—(17) Op. laud. p. 78.—(18) Op. laud., p. 97.—(19) Op. laud., p. 109.—(20) La IV Eclogue et la méthode historique. Revue Belge de Philologie et d'Histoire, Tome IX, 3, p. 797 1930.



litum cohaereant duo poetae ceteroqui
perpetuo inter se dissimiles, non curio-
sius rem pervestigemus?

Neque enim agitur de vulgari quo-
dam sententiarum aut etiam verborum
concursu, quem prudens quisque fortui-

tum pronuntiaverit, sed de inusitata
prorsus consensione, quae Venusinum
inter et Mantuanum in miraculo esse
videatur.

Praebeat exemplum omnium sane no-
bilissimum. Cum Vergilium audias:

*Ipsae latē domum referent distenta capellae
ubera, nec magnos metuent armenta leones,*

(Ecl. IV, 21-22)

Horatium vero:

*Illic injussae veniunt ad mul̄tra capellae
refertque tenta grex amicus ubera...*

Credula nec ravos timeant armenta leones,

(Ep. XVI, 49-50, 33)

quomodo evidētia coactus patentem
utriusve imitationem non conclamabis?

Suspicietur quispiam a communi quo-
dam fonte poetam utrumque forsitan lo-
cum derivasse; sed plane sciendum est
hunc communem fontem conquisitum, ut
par est, diligentissime, nec inventum.
Restat igitur ut alteruter ab altero mu-
tuatus sit.

Ep. 43 *Reddit ubi cererem tellus inarata quotannis.*

Ecl. 39, 4^r *... omnis feret omnia tellus,
robustus quoque jam tauris juga solvet arator.*

Ep. 44 *Et imputata floret usque vinea.*

Ecl. 29 *Incultisque rubens pendebit sentibus uva.*

Ep. 47 *Mella cava manant ex ilice...*

Ecl. 30 *Et durae quercus sudabunt roscida mella.*

Ep. 52 *Neque intumescit alta viperis bumus.*

Ecl. 24 *Occidet et serpens...*

Ep. 57 *Non bunc Argoo contendit remige pinus.*

Ecl. 34-35 *... et altera quae vhat Argo / delectos heroas...
38 *Nec nautica pinus...**

Quis etiam conferat versum I Epodi
cum 4 Eclogae (qui primus quoque pos-
set dici carminis post breve prooemium),

et non statim animadvertat eos, quan-
tumvis sensu oppositos, sibi mutuo con-
sonare?

Altera jam teritur bellis civilibus aetas...

Ultima Cumaei venit jam carminis aetas...

Sed plura sunt. Versibus 24 Eclogae in re plane diversa ejusdem, nec vulga-
et 45 Epodi, sese objicit miranda satis ris, epitheti repetitio:

... et fallax herba veneni / occidet.
Germinat et numquam fallentis termes olivae.

Contra, liberius quod ad verba, respondent sibi tamen sententiae in postremis his duobus exemplis:

- | | |
|----------|---|
| Ep. 44 | <i>Et imputata floret usque vinea.</i> |
| Ecl. 40 | (Non rastros patietur humus), non vinea falcem. |
| Ep. 64 | <i>... Ut inquinavit aere tempus aureum.</i> |
| Ecl. 8-9 | ... (puero), quo ferrea primum
desinet, ac toto surget gens aurea mundo. |

Tot concusiones sententiarum et verborum inter duo poemata, quae eodem ferme tempore circa eamdem materiam, salutem scilicet publicam instaurandam, consilio tamen aperte opposito conscripta sunt, quis serio fortuitas esse dixerit?

In necessario igitur vinculo explicando, quod inter duos poetas intercedit, si audias Skutsch,¹ Kukula,² Kroll,³ Olivier,⁴ Lagrange,⁵ prior Horatius est; si Brakman,⁶ Witte,⁷ Jeanmaire,⁸ Funioli,⁹ Virgilius.

Fatendum tamen est allata esse saepius a philologis in hac controversia argumenta indigna sane quae a viris gra-

rioribus proferantur. Quis enim non admirans audiat Skutsch¹⁰ contendentem se praecise comprobasse priorem sine dubio Horatium fuisse, propterea quod ipsius versus *nec ravos timeant armenta leones* oriri non potuerit ex Vergiliiano *nec magnos metuent armenta leones*, nam Horatius, inquit, subjunctivos usurpans, adhibere potuisset libere *metuant aut timeant*, Vergilius autem qui indicativis futuris egебat coactus est mutare *timebunt in metuent?* Quod argumentum Herrmann¹¹ responsione non inficeta retundit. Comparans enim versus 21 et 22 Eclogae:

ipsae laete domum referent distenta capellae
ubera
cum 33 et 34 Epodi:
illuc injussae veniunt ad mulætra capellae
refertque tenta grex amicus ubera,

arguit Horatium in senario iambico puro non potuisse adhibere *distenta* (ut alibi: I Sat. 1, 115 et Epod. 2, 46), Vergilium autem potuisse in hexametro aut *tenta*

aut *distenta*; Horatium insuper alium locum non habuisse pro voce *ubera* nisi finem senarii, Vergilium pro lubitu aut finem fere aut initium hexametri.

(1) Sechzehnte Epode und vierte Ekloge. Neue Jahrbücher, XXIII, pp. 28-35, 1909.—(2) Römische Säkularpoesie. Neue Studien zu Horaz XVI. Epodus und Vergils IV. Ekloge (Leipzig, Teubner, 1911).—(3) Horazens' 16 Epode und Vergil's Bukolica. Hermes, LVIII, pp. 600-612, 1922.—(4) Op. laud. pp. 75-95.—(5) Op. laud. pp. 847-848.—(6) Op. laud. pp. 16-18.—(7) Vergils IV Ekloge. Wiener Studien zu Klass. Philol. pp. 1075..., 1923.—Horazens' Sechzehnte Epode und Vergil's Bukolica. Philolog. Wochenschrift, pp. 1695-1703, 1923.—(8) Op. laud. pp. 62-93.—(9) Ancora la IV ecloga di Virgilio e il XVI epodo di Oracio. Le Musée Belge, XXXIV amée, nn. 1-6, pp. 55-58, 1930. —(10) Loco laud.—(11) Op. laud. pp. 69-70.

Nugatoria sunt haec, nec quidquam ex dictis suppetit quod ad antecessione utriusvis poematis dijudicandam inserviat.

Non magis proficiunt qui, potius defendendae suae sententiae intenti quam perpendendis pro meritis poematibus, Epodum Horatianam vel extollunt plus justo vel plus aequo deprimunt.

Cum enim Olivier, qui putat Horatium et praeivisse Vergilio et dignum fuisse quem Vergilius imitaretur, exagerat Epodum carmen esse undequaque fere perfectum, quodque inter omnes Epodos unanimi consensu superemineat, ¹ facile ipsi respondebis cum Jeanmaire ² in eo non deessesse signa quae *nascantem poetam*, ut Vergiliano verbo, *integrumque discipulum*, ut Tulliano utar, satis clare prodant: quod, exempli causa, rhetoricas artificias nimium indulserit, si-

milia plura congesserit, eruditionis ostentationem expanderit, eloquentiam cum poesi imperitus miscuerit. Sed modum etiam excedit in sua reprehensione Jeanmaire, cui prodest ostendere Vergilianum carmen ab Horatio pendere non posse.

Etenim iniquum esset eam ab Horatio exigere perfectionem quam omnes agnoscunt in Ecloga Vergiliana, cum Epodus XVI, si minus primum omnino tentamen, at saltem inter prima tentamina Horatiana recensendum sit. Nondum videtur eam perfectam nitidamque brevitatem assecutum, quam in Horatio lyrico ubique reperimus, at non desunt ea quae Horatium inter lyrics omnium temporum regnantem jam clare promittant.

Quid, ut exemplum proferam, valdiores deinceps impetu scripsit Venusinus quam:

*Barbarus heu! cineres insistet victor, et Urbem
eques sonante verberabit ungula!* (11-12)

aut quid quod aures blandius mulceat quam:

*Nos manet Oceanus circumvagus; arva, beata
petamus arva, divites et insulas...?* (41-42)

Et senarius ille:

...montibus altis
levis crepante lympha desilit pede (47-48)

nuntius est alcaicorum jure celebratorum:

*Quid obliquo laborat
lympba fugax trepidare rivo?* (II Carm, 3, 11-12)

Si quis igitur solam Eclogam IV cum sola Epodo XVI comparet, nihil ad utriusvis causam inclinatus, fatendum ipsi erit dignosci non posse utrum poema tempore praestiterit.

Non tamen omnes partes versaverit hujus quaestonis qui iis quae hucusque adducta sunt sit contentus: implicatio enim non minima inde oritur quod non

in Ecloga IV tantum, sed in aliis etiam Eclogis Vergilianis non pauca reperiantur quae Epodum Horatianam redolere videantur, nimirum in I, II, III, V et VIII; quarum cum aliae certo antiquiores sint Epodo, aliae aut certo aut saltem dubie seriores, magis magisque incerta fit quaestio de mutuo influxu.

Magnum sane argumentum esset pro antecessione Vergiliana, si demonstrari

(1) Op. laud. p. 93.—(2) Op. laud. pp. 77-78.

posset Epodum pendere ab Eclogis II, III et V, quae, fatentibus omnibus, tempore sine dubio praeiverunt. — Sed loci, qui ex ipsis proponuntur ut similes, ni-

hil amplius prae se ferunt quam ea quae casu utriusque poetae de re simili agenti occurere potuerunt. Sic:

- Ep. 44 *Et imputata floret usque vinea*
 Ecl. II, 70 *Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.*

- Ep. 47 *Mella cava manant ex ilice*
 Ecl. III, 89 *Mella fluant illi, ferat et rubus asper amonum,*
 (Adde Ecl. IX, 15 ...ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,)

- Ep. 51 *Nec vespertinus circumiegit ursus ovile*
 Ecl. V, 60-61 *Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis*
ulla dolum meditantur.

Quid autem arguere licebit ex loco qui satis similis videtur in Ecloga VIII? Hanc enim constat posteriorem esse consulatu Pollionis et adscribi debere anno 39. Si vero locus Eclogae VIII vere pendet ab Epodo, tum cogaris dicere, saltem ibi, Vergilium secutum esse Horas.

tianam musam. — Sed nec hic res confici videtur, quandoquidem similitudo facile derivari potuit ex communi quodam fonte, qui sane deesse non potuit inter tot Alexandrinorum adorata.

Locus est:

- Ep. 30-33 *Novaque monstra junxerit libidine*
mirus amor, juvet ut tigres subsidere cervis,
adulteretur et columba milvo.

- Ecl. VIII, 27-28 *Jungentur jam grypes equis, aeoque sequenti*
cum canibus timidi venient ad pocula dammae.

Accuratius perpendenda est Ecloga I, ex qua dignos collatione locos et plures invenire potes et significantiores.

cum 70 et 71 Eclogae, fieri non potest quin sentias communionem non tam verborum quam rhythmi. Exclamat enim Vergilius.

Si comparas versus 9 et 11 Epodi

Impius haec tam culta novalia miles habebit,
barbarus has segetes!

et Horatius:

... impia perdemus devoti sanguinis actas,...
barbarus beu! cineres insultet viator!...

Aliud propinquitatis genus, sonorum nempe, intercedit inter versum 34 Epodi
ametque salsa levis bircus aequora...
ante leves ergo pascentur in aequore cervi...

et Eclogae; quamquam *lēvis* et *lēves* sunt voces origine et sensu omnino diversae:

(Adverte tamen in versu Vergiliano pro aequore aliam esse lectionem, forte praeferendam: *aethere*).

Similitudo iterum, tenuior sane nec tamen despicienda reperitur inter Ep. 46 et Ecl. 39:

suamque pulla ficus ornat arborem...
cui pendere sua pateris in arbore poma...

Montibus altis claudit hexametrum
 47 *Epodi et 83 Eclogae.*

Nulla nocent pecori contagia...
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.

Quid deest ut vel hinc res tota conficiatur? Unum tantum: consensum esse inter autores circa tempus compositioni Eclogae I adsignandum. At vero consensus nullus est; sed acriter disputant, alii pro anno 41 vel 40, alii pro 39. Argumenta pro 39 (quod antecessioni Horatianae favet) dabit Cartault,¹ pro 40 (quod Vergiliana), Jeanmaire.²

Ad summam, unum, quantumvis molestum, retinendum videtur: rationes quibus certo constet ute ratus ab altero

Tandem communitas evidentissima elucet inter Epodium versu 61 et Eclogam versu 50:

pendeat, nec historicis suppeteret nec philologis, cum illi plura adfirmare nequeant quam quae scriptis monumentis servata sunt, isti vero nihil ad confirmandam veritatem subtilitatibus ac conjecturis proficiant.

Noli tamen totam hanc inquisitionem supervacaneam arbitrari: in studiis enim litterarum in lucro non id tantum adponitur quod rebus certis et exploratis eruatur, sed et id quod, cum probari nequeat, persentiri tamen potest.

III

Restat igitur ut, etiam si spes certo definiendi utrum Vergilius ab Horatio an Horatius a Vergilio mutuatus sit, nobis sit tandem deponenda, duplice tam utilitatem ex disputatis arripere licet; et quod indicium saltem veritatis in quaestione inenodabili non frustra omnino aucupemur, et quod ex comparatione utriusque poetae in pleniorum lucem erumpat quid in suo cujusque carmine proprio ingenio potissimum respondeat.

Congeram adhuc, ut nihil intentatum maneat, tria quae a defensoribus antecessionis Vergiliana, non tam ex philologicis quam ex aestheticis rationibus urgeri possent. Pone, inquiet, carmen utrumque ante judices qui utriusque poetae non verba tantum, sed naturam etiam

ingeniumque persentire possint; quaere ab illis ute versari videatur, ut ita dicamus, in suo, ute in alieno. (Sunt enim loci in quibus ambo materiam communem ita libere ingenuaque tractant, ut proprium modum, sine ullo mutuo influxu, ambo evidentissimum servent: confer, sis, Horatianum carmen 2 Libri I, praesertim a versu 21 ad quem, cum postremis versibus Libri I Georgicon a 489). At de quindecim supra numeratis locis Epodi XVI, pro quibus loci similes in diversis Eclogis reperiuntur, dicat peritus quivis utriusvis ingenii videantur propiores, utrum magis eum Horatium sapiant, quem ex aliis Epodis, Sermonibus, Carminibus, Epistolis novimus, an eum Vergilium, qui genus «*molle et facetum*» cantus Bucolici proprium poemati

(1) Op. laud. pp. 59-69.—(2) Op. laud. pp. 65-70

didascalico immo et epico naturae ductu immiscuit. Sane fatebitur Vergilium versari in suo, Horatium potius in alieno.

Cujus argumenti vim adhuc urgere temptant, proposita hac secunda quaestione: utrius poetae plura sint influxus signa in operibus alterius. Porro imitationes derivatas ex Horatio, dicent, nec multas in Vergilio, nec conspicuas repries, nec praesertim tales quae indolem Horatianam —quod caput esset— referant. Contra in Horatio, etiamsi ex solis decem Eclogis Vergilianas imitationes perquiras, insperatam prorsus copiam scatere miraberis, plus scilicet quam 60, ut ex adnotationibus in editione Bucolicorum Calori Hosius comprobare potes.¹

Tertio, et in hoc triumphant, si utrumque carmen proprio suo momento penses, consentire cogeris Brakman affirmanti «vi, gravitate, altitudine carminis bucollici epodium longe superari», item cum addit: «Epodus illa, quamvis sit egregia a re metrica, pertinet ad genus, quod nos dicimus, Utopiae». ² Quo argumento finem se putat disceptationi imposuisse et libere concludit: «Num igitur verisimile est Horatium Vergilio fuisse exemplo?»

At vero in immaturam sequelam, eamdemque argumento validiorem invasisse eum dixerim. Tria enim proposita argumenta multiplici responsioni obnoxia sunt.

Nam, ut de primo primum dicam, si quis confidentius contendit in locis disputatis potius Vergilium versari in suo, Horatium in alieno, non injuria defensor Horatii respondeat talia judicia saepe a proprio cuiusvis sensu nimium pendere;

ceterum nec mirandum esse si primis suis operibus adhuc propriam viam Horatius temptet, et bucolicis leporibus, quos in tot Graecis exemplaribus reperiebat, adlectus appareat.

Nec pluris faciendum censeo argumentum ex multitudine locorum Horatii qui redolent Eclogas desumptum. Probandum enim esset Horatium, non tam unum alterumve verbum a Vergilio mutuatum esse, quam ejus propriam et quasi naturalem notam, quod nemo sanus unquam somniavit.

Argumentum tandem a Brakman propositum multo certe efficacius videatur; immo adeo efficax, ut ingenue cogitanti fieri non possit quin absonum videatur Eclogam IV, tantum opus, tanti que momenti ut per saecula homines mira quadam voluptate et quari stupore adfecerit, pendere ab alio carmine sibi plane inferiore. Ad hanc difficultatem unum respondebo: eam objici ab eo tantum posse, qui aut ignoret aut memoria non teneat quod in primis mirandum est in indole Vergiliana, quodque ejus sublime ingenium maximopere commendat.

Sollemne enim in eo est ut, arrepta undecumque mentis concitatione et adflatu, non a visione solum naturae ac proprii animi sensu, sed etiam non raro ab alienis scriptis, id quod ita arripuit tam potenti vi sibi conjungat et in rem propriam vertat, ut saepe iis etiam sublimioribus partibus in quibus alis se levare et ad excelsa sublatus, altissima quaeque attingere videtur, locus alienus designari possit unde certo manaverint, isque qui tantae imitationis aliquando indignus omnino appareat.

(1) P. Vergil Maronis Bucolica cum auctoribus et imitatoribus (Bonn, Weber, 1915).—(2) Op. laud. 17.

Hujus vis, qua exempla nonnunquam futilia per novum propriumque adflatum in sublimem poesim Vergilius mutare sit solitus, unum exemplum in medium ad-

ducam, non quia splendissimum, sed quia breve et evidentissimum. Compare scilicet Catullianum illud *De Coma Berenice*:

*Invita, oh, regina, tuo de vertice cessi,
invita: adjuro teque tuumque caput!* (CXVI, 39-40)

cum querelis Aeneae ad Didonem in inferis:

*Funeris heu! tibi causa fui? per sidera juro,
per superos, et si qua fides tellure sub ima est,
invitus, regina, tuo de litore cessi!...* (Aen. VI, 458-460)

Hinc puto vim totam argumento Brakman eripi. Et cum aliunde rationes historiae, quamquam certae nullo modo dici possint, antecessioni Horatianae tamen aperte faveant, quandoquidem Epodus vix concipitur scripta, nisi ante Brundusinam pacem, Ecloga vix nisi post eamdem, satius erit, donec aliud demonstretur, primas partes quod ad tempus Horatio dare. Quod si quis aliter senserit, sibi tranquillus placeat; nec enim huic adffirmationi nimium haeremus, nec eam pluris facimus, nam nec res tanti momenti est, cum nec alterum vatem nimium extollat, nec alterum vel minime deprimat.

Alius tamen fructus ex tota hac disputatione colligi potest, isque multo majoris pretii, ut nimirum in intimorem utriusque poetae cognitionem per comparisonem Eclogae cum Epodo deveniamus. Sive Epodus respondeat Eclogae, sive potius Ecloga Epodo, nihil ad rem attinet, certum est alterum poema responsionem esse poemati alteri et eam quidem responsionem quae, circa materiam eamdem, mentem revelet undequaque diversam. Quid hac oppositione erui potest?

Videmus quidem, ex duobus poetis aequalibus, in aestimando statu rerum publicarum adeo fluxarum ac minantium, ut neque spes ulla certa salutis concipi posset, nec quis tandem impendentium periculorum futurus esset exitus, cum ageretur de remedio quaerendo pro tam intolerabili calamitate publica, —pro *everso saeclo*, ut oravit Vergilius, (Geor. I, 500), pro *ruentibus imperi rebus*, ut cecinit Horatius, (I Carm. 2, 25-26) —, istum se ad humana remedia, etiam desperata, contulisse, Vergilium ad divina, etiam portentosa. Spem Horatius ponit in fuga melioris partis Populi Romani ad insulas beatas; Vergilius in nova quadam progenie de caelo demissa. Horatius putat Romam ex se ipsa alio loco renasci posse; Vergilius id tantum sperat a puero qui sit *cara deum suboles, magnum Jovis incrementum*. Horatius tenet arva beata, parata jampridem a Jove, a piis arripi posse pro suo lubitu; Vergilius promissam felicitatem non exspectat nisi sub eo puero, sub quo *ferrea primum desinet, ac toto surget gens aurea mundo*.

Objici forte possit Epodium non aptari nisi uni momento, ut ita dicam, viatae Horatii, nec referre nisi quod in subita eaque fugaci desperatione effuderit

impotens sui. Verum equidem; et postquam ad Augusti partes transiit, tantam exhibuit semper fidem in fortunam Populi Romani, ut potius mirandum videatur quod Epodum XVI ab operibus posteritati transmittendis non deleverit.^(x) Sed quamquam haec ita sint, mens quae huic poemati praesidet, mutato quidem affectu a desperatione summa in summam confidentiam, mens, inquam, immota manet: rerum patriae columen ac decus semper in hominibus posuit Horatius, etiam cum verbis videatur, ut in carmine 2 Libri I, deos invocare. Veram orationem qua remedium humanarum calamitatum a diis exposcat non facile in Horatio reperies.

E converso Ecloga summam contine-re videtur vitae Vergilii; spem in ea ex-pressam enuntiare dixeris totius operis Vergiliani «spiritum». Quamvis et ille Augustum salutaverit et agnoverit ut instrumentum ad supremum bonum pa-

cis, at eum, in splendida vaticinatione Andhisis Libro VI Aeneidos (vv. 789-805), aperte vocat instrumentum divinitus datum, pro eo oratione, ea quidem vera, deos omnes adprecatur sub fine Libri I Georgicon (vv. 498-514). Remedium ruinae, salutem publicam et perpe-tuitatem pacis semper ut donum a Deo postulavit, accepit, praedicavit.

Versuum collatione concludam, quae, cum nihil ex sese probet, digna tamen est ut illustrationis gratia, non probatio-nis, proferatur, quia bene rem ob oculos ponit, quam postrema hac argumentatio-ne expandimus. Sunt duo loci, ex car-mine 7 Libri I, vv. 30 et 31 alter, alter ex Libro etiam I Aeneidos vv. 198 et 199, quibus quid intimo animo reposi-tum habeat, uterque poeta videtur nude nitideque prodidisse. Nam Teucer Sal-iminus hac voce nautas suos exilii socios compellat:

*Oh fortis pejoraque passi
mecum saepe viril!*

suos vicissim Aeneas, qui sibi tempestate relikti fuerant:

*Oh socii (neque enim ignari sumus ante malorum)
oh passi graviora!*

Sed Horatianus Teucer concludit:

Nunc vino pellite curas!

Vergilianus Aeneas:

Dabit Deus his quoque finem!

Ex Collegio Cotocollaensi ad Quitem, in Asquatore

(x) Sed cf. Olivier, op. laud., pp. 93-95.

Horatius doctis viris crebrius est in ore

Emmanuel Jové, C. M. F.

Jam ceteri PALAESTRAE LATINAЕ conscriptores calamos suos atque ingenia in Horatio laudando admoverant, neque quidquam ipse de eo lectoribus tradideram, cum nihilominus huic tanto Magistro litterarum Latinorum, certe magisterii ratione, mihi viderer summopere obstrictus. Quid sumerem dicendum aut quid praeterirem in laudem bis millesimi anniversarii Horatiani mecum diu haesitans volutavi. Tandem in mentem venit illud latius exponere quod perstrinxerat tantum Avenarius, amicus ille meus: «Nemo poeta aliis doctis viris totiens est in ore». Quod ille igitur breviter, allatis nonnullis effatis communiter apud viros litteratos acceptis, ipse confirmare tentabo compluribus aliis adductis atque explicatis, quae si proverbiorum honore non gaudent, eorum fines attingant. Epistula autem ad Pisones quae totum litterarum Horatianarum opus coronat, fons est hujusmodi dictorum adeo secundus ut, poste aquam illud exhausero, plane mihi non licet per lectores ad alios venire eosque itidem exsugere. Incipiam igitur ab ea tabula quae enormitate sua mirabiliter proposita ad omnes pervenit mentes mediocriter saltem excutas.

Igitur Horatius tabulam descriptis capite femineo, cervice equina, corpore plumis variis obducto ex membris undique collatis, cauda demum pisciformi. Ante eam adducit adulescentes Pisones, eisque ait, non imperativo modo ut quidam volunt, sed potentiali: *Risum teneatis, amici?* (5). Est autem qui res proponat satis difficiles atque improbabilis ex-

itus? Eas *aegri somnia* (7) vocamus. Quae si praeterea nullo ordine et magna obscuritate proponantur: *nec pes nec caput* (8) *inest* —*inquimus*— consilio tuo. Quis hujusmodi dicta ab adulescentia non audivit.

Pictoribus atque poetis / quidlibet audendi semper fuit aequa potestas (9, 10): en tibi excusationis propera ratio qua non semel abutuntur tirones, cum majora sunt ausi quam erat aequum. Praeceptor autem excusationi statim succurrit pulcherrimis illis comparationibus quas continuo tradit Horatius: *Ne serpentes avidus geminentur, tigribus agni* (13). Solent etiam tirones rebus de quibus agitur margaritas litterarias impingere hinc inde collectas, nulla earum facta selectione, neque opportunitate adhibita. Tum eis magister in mentem adducit illud Horatii: *Non erat his locus* (19). Qui autem propositum sibi finem temere dereliquit et ab incepto imprudenter discessit aliis illectus rebus, eum mirifica allegoria ab Horatio desumpta vituperamus: *Amphora coepit / institui, cur urceus exit?* (21, 22). Si quidquam laude dignum perficere volumus, cognitum praeceptum prae oculis semper habeamus minime transgrediendum: *Sit quidvis simplex dumtaxat et unum* (23).

Plura sunt quibus mentis oculi haud satis perscrutati praestiguntur; postea vero fortassis inviti fateri cogimur: *Decipimur specie recti* (25). Est enim qui nimium studeat esse brevis, at res obscure producat: *Brevis esse labore, obscurus fio* (25, 26). Qui magna dicere profitetur

turgidine saepe vituperandus evadit: *Professus grandia turget* (27) quia *Delphinum silvis appingit fluctibus apri*m. (30) Sed sicut tutus nimium esse neutiquam oportet, sic neque nimium timidus, nam *Serpit humi tutus nimium timidusque procellae* (28).

Cum quis in rebus gerundis id praeterit quod erat caput *Infelix operis summa* (34) dicitur, sicut ille faber imus qui circa Aemilium ludum officinam instituerat. Nihil nobis potius videndum, antequam quicquam suscipiamus, quam illud quod ex Horatio discipulis adeo commendant ubique praceptores: *Sumite matrem vestris aequam viribus* (38, 39). Certum est etenim quod continenter addidit summus ille Magister: *Cui lecta potenter erit res, nec facundia deseret bunc nec lucidus ordo* (41).

Apud optimos cujusque linguae scriptores acceptum est ut proverbium omni aestimatione dignum: *Licuit semper que licebit, signatum praesente nota producere nomen* (58, 59). Utinam ea facultas adeo liberaliter ab Horatio concessa minime coartaretur inanibus criminacionibus eorum qui linguam Latinam potius confidere velle credas, quam perficere. Mirandum etiam et memoria retinendum, cum loquitur de mutabilitate verborum, effatum adeo breviter atque serio dictum, quod neque brevius neque exactius dicere quis queat: *Debemur morti nos, nostraque* (63). Usui autem in omnibus fere rebus principatum tribuimus quem dedit Horatius in vocabulis configendis: *Quem penes arbitrium est et jus et norma loquendi* (72). Quis de re jamdiu disputata, neque sententiis in alterutram partem definita, repetere non audivit: *Aduic sub judice lis est?* (78).

Ne frustra in aliis mentibus eos animi motus ingerere tentemus quibus nos esse destitutos agnoscimus recordamur Horatii praceptum: *Si vis me flere dolendum est, primum ipsi tibi*, (102, 103) nam: *Ut ridentibus arrident, ita flentibus adflent, humani vultus* (101, 102). Interdum contingit ut de rebus notissimis oporteat agere, quis est qui audeat eas proprie ac delectabiliter exprimere? Qui in illis exprimendis eam difficultatem experitur ut ab incepto desciscere cogitet, illud solacii ergo in mentem revocet quod Venusinus scriptum reliquit: *Difficile est proprie communia dicere* (128). Contra ea, postquam summa adhibita cura res oculis contemplantium manifestatur quidem jucunda, nullis tamen praestringentibus gemmis, sunt qui credant nullius esse negotii, eamque fidenter aggrediantur. Tum vero experientia comprobant quam sit verum illud: *Sudet multum frustraque laboret, ausus idem.*

Homines de se maxime gloriantes tubis atque sonitu magna promittunt exseenda. Cum autem ad negotium venerunt falsa spe exspectatores decipiunt, quos vicissim irridemus ea exclamazione Horatiana: *Parturient montes, nascentur ridiculus mus*, (139) vel dicimus cum amicis: *Quanto melius hic qui nil molitur inepte* (140). *Orditur ab ovo* (147) qui res a longe repetit ita ut lectorum ad propositum venire plus justo retardet. Praeceptum etiam in nullis operibus oblizioni dandum illud est quod magistri perpetuo repetunt discipulis quos in literis informandos suscepérunt: *Primo ne medium, medio ne discrepet imum* (152).

De puerō saepe id audies, quod *Maturatur in horas* (160); de adulescente quod est *Cereus in vitium fleti* (163); de viro

quod *Quaerit opes et amicitias, inservit honori* (167); de sene vero quod est *Laudator temporis acti / se puero* (174). *Tractus hujusmodi in vulgus acceptos ut indoles cujusvis aetatis quodammodo notaretur tradidit etiam Horatius.*

Ut oculorum praestantia prae aliis sensibus ostenderetur in motibus animi excitandis abiit etiam in proverbium: *Segnus irritant animos demissa per aum quam quae sunt oculis subiecta fidelibus* (180, 181). Eos qui res efficiunt, sed minime perficiunt, cum Horatio hoc modo reprehendimus: *Vitavi denique culpam, non laudem merui* (267, 268).

Nihil ad recte scribendum adeo confert quam adsidua optimorum scriptorum lectio tam in propria lingua quam in aliena. Ideo adolescentibus Pisonibus id consilii tradidit Magister ea sententia adeo trita atque pervulgata: *Vos exemplaria Graeca / nocturna versate manu versate diurna* (268, 269). Quis, impeditus ab officiis obeundis alios ea perficere docens, nesciat repetere: *Fungar vice cotis* (304). In ore habent etiam praeceptrores illud effatum discipulorum mentibus infigendum: *Scribendi recte sapere est et principium et fons* (309), et solent eos hortari ut nunquam in manus sumant calamos nisi re mente diu persensa, atque exagittata hoc modo: *Verbaque provisam rem non invita sequentur* (311). Res in quolibet genere praecellens dicitur esse *Linenda cedro et levi servanda cupresso* (332). In praeceptis tradendis quae memoriae cupimus ut penitus insideant, id meminimus: *Quidquid praecipies esto brevis* (335). Iis autem qui cum Musis familiaritatem consequantur, ne earum indignationem incurvant, id animadverten-

dum: *Ficta voluptatis causa sint proxima veris* (338). Oportet autem in negotiis perficiendis, dum quis utilitatem persequitur, jucunditatem animi minime neglegat, atque hoc modo opera perfecta evadent; quam ob rem dixit Horatius: *Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci* (343). Ut non licet nimia severitate in culpas haud omnino vitandas, quia ad nihil conductit; quare qui, post impensam sollicitam in negotiis operam, videmus ea nondum evasisse ex sententia, vituperatori dicimus cum Horatio: *Sunt delicta quibus ignorisse velimus* (347) aut illud: *Non semper feriet quodcumque minabitur arcus* (350).

Non censeo praetereundum aliud Horatianum dictum quod apud vulgus dissimili usurpatur sensu atque illo quem habet apud Horatium: *Quandoque bonus dormitat Homerus*, quasi illud quandoque significaret interdum, quod non est ita. Ille enim id significare vult quod sibi ipse succenseat quotiens Homericum legendo, in quo fere omnia magno fulgent splendore, quaedam invenit tanti hominis haud satis digna: *Idem / indignor quandoque bonus dormitat Homerus* (359). Fieri potest ut quaedam, imo et plura, fiant apud homines non omnino accurate, id est, relativa quadam, ut ajunt, perfectione in medium proponantur; ita enim sunt mortales ut aut nihil agant aut ea imperfekte fere agant, quod est quidem communiter ferendum: *Certis medium et tolerabile rebus / recte concedi* (368, 369). Poetae tamen aut perfecti sunt aut non sunt eo nomine digni: *Mediocribus esse poetis, / non di non homines non concedere columnae* (373). Inutile autem esse contra vel supra proprium ingenium

(1) Siempre y cuando.

contendere declaravit Horatius eo totiens repetito communiter versiculo: *Tu nihil invita dices faciesve Minerva* (385). Antequam publico lucubrations nostras tradamus exquisita cura emendare oportebit, sero enim paenitentiae non erit locus, ait enim Horatius: *Nescit vox missa reverti* (390).

Qui magnum opus confecit quod et multo tempore constitit et labore, hic: *Sudabit et alsit; si fortia quis facit et patitur, indubitanter: Abstinuit venere et vino* (413, 414).

Si nolumus nos esse postremos in aliquo rerum genere cum pueris Romanis invicem contendentibus repetimus: *Occupet extremum scabies* (416). Si vero negotium suscepimus, neque ullo modo credimus esse relinquendum, quamquam difficultatibus undique premamur: *Mibi turpe relinquere est* (416).

Probamus amicorum facta tribus illis adverbii: *pulcre, bene, recte* (428), quibus Horatius ostendit pro iustitia quantum valeat saepe benevolentia. Quanam comparatione rectius simulatam agendi rationem patefacies quam ea: *Ut qui conducti plorant in funere?* (431), nam ut etiam scripsit Horatius: *Derisor vero plus laudatore movetur* (433).

Quae nostra sunt a nobis diliguntur ut filius a patre, neque facile ea credimus mendis foedata. Tunc nobis est obiectendum illud: *Nunquam te fallant ani-*

mi sub vulpe latentes (437). Magistrum severum qui nihil parcit discipulis sibi ad institutionem traditis Aristarchum vocamus, quia nobiscum, *Fiet Aristarchus*, ut censor ille ineluctabilis qui *Nullum verbum aut operam sumebat inanem* (443).

Malus poeta: *Sublimes versus ructatur et errat* (457) quamobrem: *Vesanum tetigisse timent fugiuntque poetam / qui sapiunt* (455), contra autem: *Agitant pueri incautique sequuntur* (456). Diffile est autem ut malus poeta officium suum relinquendum sibi suadeat. Tandem cogimur de salute ejus atque fama despicere et dicimus cum Horatio: *Sit jus licetque perire poetis* (466). Ad alios etiam transferimus ea omnia quae de malo poeta adseruit Horatius, praecipue illud: *Indoctum doctumque fugat recitator acerbus* (474), atque homini importuno illud adplicamus: *Non missura cutem nisi plena crux birudo* (476).

Haec quae modo ex epistula Horatii ad Pisones desumpsi exempla, satis quidem vulgata, rem ab initio mihi propositam insigniter commonstrant. Ea ex aliis ejusdem poetae operibus, praesertim epistulis et satiris multiplicare possum, sed noctuas Athenas mitterem. Igitur Horatio familiariter utuntur seu in ore habent eum omnes homines mediocriter saltem eruditii, vel ex se vel ex auctoritate aliorum Horatiana dicta usurpantes.

Laudes Horatianae

EX OMNIBUS HORATII METRIS DIGESTAE

Leander Fanlo, C. M. F.

*Me, sine, HORATI,¹
Hanc quibus usus eras²
Metris, texere laudem.³*

*Laurus nulla perennior⁴
Qua tua Melpomene redimivit⁵
Tempora; tu nulli vatum concedis honore,⁶
Quin suas victi tibi⁷
Cuncti coronas deferunt.⁸*

*Oscura plerisque umbra texit⁹
Nomen; tuum vero perire nescium¹⁰
Aeterna vivet saecula excolendum.¹¹*

*Pergis tu digito praetereuntium¹²
Omnium princeps lyricen notari.¹³*

*Almo fuisti carus Apollini¹⁴
Ipse Heliconis ad arduum egit¹⁵
Secum te usque apicem quem tetigit nemo propinquius¹⁶*

*Te canit universus¹⁷
Orbis et plaudit jubilans; effugiet superstes¹⁸
Lubitinam tua fama, et licet ille¹⁹
Fractis cardinibus ruerit, tibi stabit usque fixum²⁰
Quod tibi tu monumentum exegeris firmissimum;²¹
En VICIES SAECCLI fugam restitit incolumel²²*

(1) Metrum Adonicum (Exemplum in I, 2); (2) Trimetrum dactylicum catalecticum (I, 5); (3) Pherecrateum (I, 5); (4) Glyconeum (I, 5); (5) Alcmanicum (c I, 7); (6) Hexametrum (in Saturis et Epistulis); (7) Dimetrum trochaicum catalecticum (II, 18); (8) Dimetrum iambicum (ep 1); (9) Alcaicum eneasyllabum (I, 9); (10) Trimetrum iambicum (Ep. 1); (11) Trimetrum iambicum catalecticum

(II, 18); (12) Asclepiadeum minus (I, 1); (13) Sapphicum minus (I, 2); (14) Alcaicum hendecasyllabum (I, 9); (15) Alcaicum decasyllabum (I, 9); (16) Asclepiadeum majus (I, 11); (17) Aristophanicum (I, 8); (18) Sapphicum majus (I, 8); (19) Jonicum (III, 12); (20) Archilochium majus (I, 4); (21) Elegiambicum (Ep. 11); (22) Iambelegicum (Ep. 13).

ANNALES CARMINVM HORATIANORVM

(Ex Caroli Franklin Fastis Horatianis)

Ann.	Sat. I.	Sat. II.	Epod.
u. c.	Ch. Hor. sest.		
713.	41.	24.	
714.	40.	25.	2. Ambubajarum
715.	39.	26.	3. Omnitibus. v.
716.	38.	27.	4. Eupoli et que Cratinus.
717.	37.	28.	5. Egreasum magna me.
718.	36.	29.	6. Nonquid Mae.
719.	35.	30.	7. Procripi R.
720.	34.	31.	8. Olim truncus.
721.	33.	32.	9. Ibam forte via. 10. Luchi quam am.
722.	32.	33.	1. Quinti Macen.
723.	31.	34.	2. Quae vir- tus.
724.	30.	35.	3. Si raro scribis.
725.	29.	36.	4. Unde et quo Caius.
			5. Hoc quoque Tineia.
			6. Hoc erat in votis.
			7. Jaudium auscultu.
			8. Vt Nasi. dieni
			1. Sunqubius fici.
			17. Jamiam ef-

Ann.		Carm. I.	Carm. II.	Carm. III.
n.	a.	Ch.	For.	stat.
724.	30.	35.	37. Nunc est bi- bendum.	16. O mecum. fort. 7. Osape
725.	29.	36.	2. Jam ris. 14. O navis re- fervent.	1. Motum ex- satis ter- chira.
726.	28.	37.	21. Diana te- nerae 31. Quid dedi- catum	12. Nolion- ga ferae. 15. Iam pauca arato. 16. Ohium divos. 18. Non ebur.
727.	27.	38.	29. Ieci beatin- 35. O diva gra- tum	24. Intactia opulenter. 1. Odi pro- fanum. 2. Argusianum amicie. 6. Delicia mai-
728.	26.	39.	—	3. Justum et te- nacem 5. Cae- lo to- nan- tem.
—	—	—	19. Mater seava Cupidin 12. Queen virum a. h. 26. Mus. amic.	13. Ille et ne- fasto. 17. Cur me querellim.
729.	25.	40.	11. Quidelli- cosua 34. Par- cise.	4. Ne sit an- sem. 9. Non gente.
730.	24.	41.	20. Vile potabis Quis desiderio 36. Et ture et. 1. Maestens atavia.	29. Tyrrena re- gum. 14. Herculiniritu. 19. Quantum di- set ab Ina- ctio
731.	23.	42.	—	30. Exegi monu- mentum.

Anni.		Epicular I.	Curn. III
n.	n. Ch.	Hor. Hor. seas.	
730.	24.	41.	13. Vt proficentem.
731.	23.	42.	fort. 7. Quinque dies. 2. Trojan belliscer.
734.	20.	45.-	9. Septimius Claudi 3. Juli Flore. 8. Celso Gaudent. 5. Si potes Archiasia. 12. Fructibus Agrippae 18. Si bene te novi 19. Prioco si credis. 20. Vertumnus Ianum- que. 1. Prima dicto mibi.
737.	17.	48.	fort. 3. Quem tu Melpon 6. Divae quem protes <i>Carmen Sacerdotale</i>
738.	16.	49.	fort. 9. Ne forte credas. 11. Est enim nouum.
739.	15.	50.	fort. 1. Internissa. Ve- nus, du. fort. 10. O crudelis ad- huc. 3. Pindarum Quis- 4. Omis. Qualem min- strum
740.	14.	51.	6. Divis orbebons
741.	13.	52.	14. Quae curs pa- trum palestris 16. Phoebus volen- tem.

Prof. Emmanuel Jové, C. M.

Typographia P. Camps Colmet - Tarragona



P. BUSQUET - GARCIA BAYON, C. M. F.

Thesaurus Confessarii

se u

Brevis et accurata summula totius doctrinae moralis

924-XVI pag.

NONA
EDITIO

8 pesetas

Nova editio hujus celebratissimi operis facta est in FORMA PORTATILI, quam dicunt, CARTA TENUISSIMA ELEGANTIQUE VOLUMINE; opus egregium, continua applicationibus practicis illustratum, facilimae securaeque consultationis.

P. I. GARCIA - BAYON, C. M. F.

Tractatus Canonico-Moralis de Sacramento Matrimonii

2 vol., 376 et

372 pagg. in

8. maj.

13 pesetas

Egregium hoc cl. Prof. Garcia-Bayón novum opus inter insignia commentaria Juris matrimonialis Codicis Canonici computari licet, ob eam, qua praestat, doctrinae copiam, serenum opinionum delectum, tractationis ordinem, extensionem et claritatem.

GUSTAVO GILI, Editor

Enrique Granados, 45.- Barcelona

O B R A N U E V A

GUIA DE CONVERSACION LATINA

por el Dr. G. CAPELLANUS y el Prof. H. LAMER

Versión de la 11.^a edición alemana, adaptada
a los países de habla española, por el
R. P. José M^a. Jiménez, C. M. F.

Un volumen de 148 págs.
de 20 x 13 cms.

Precio del ejemplar
encuadernado, ptas. 4

De este excelente manual de conversación latina ha dicho
con justicia el R. P. Manuel Jové en el prólogo:

«Los autores han demostrado mucho tino y exquisito gusto en escoger y exponer los temas de conversación sin desarrollarlos demasiado, para no dispersar en frases sobradamente sencillas, presentan en cada asunto lo que podría ofrecer mayor dificultad, ya por tratarse de objetos de creación moderna, ya de ideas que no suelen encontrarse en los libros corrientes de traducción».

Civilizaciones antiguas.—Resumen gráfico de la cultura grecorromana y del próximo Oriente. por los Dres. J. HUNGER y H. LAMER. Tres vols. de 20 x 14 cms., magníficamente ilustrados. Cada volumen consta de unas 200 p. y en conjunto contiene 517 grabados. Vol. I. *La civilización del Oriente antiguo*; Vol. II. *La civilización griega*; Vol. III. *La civilización romana*. Precio de cada vol. en rústica, ptas. 5. Los tres volúmenes en uno, lujosamente encuadernados en tela, ptas. 20.

Mitología griega y romana.—Por J. HUMBERT, con un prefacio del abate E. THÉDENAT, miembro del Instituto de Francia. Versión de la 24.^a edición francesa. Un volumen de 316 págs. de 20 x 14 cms., 152 grabados. Encartonado, ptas. 7.

Escritores de Grecia y Roma.—Por G. NORWOOD y WIGHT DUFF. versión del inglés. Un volumen de 304 págs., de 20 x 14 cms. con 47 grabados. En rústica, ptas. 8; en tela, ptas. 10.

Historia de los Papas.—Desde fines de la edad media, compuesta utilizando el Archivo secreto pontificio y otros muchos archivos, por LUDOVICO PASTOR, Consejero Real e Imperial, profesor de la Universidad de Innsbruck y director del Instituto austriaco de Roma. Versión de la 4.^a edición alemana por los RR. PP. RAMÓN RUIZ AMADO, S. J. JOSÉ MONTSERRAT, S. J. MANUEL ALMENDRA, S. J. Van publicados 23 magníficos volúmenes de 23 1/2 x 15 cms. esmeradamente impresos en papel verjurado especial.

Patrología.—Por el Dr. O. BARDENHEWER, profesor de Teología de la Universidad de Munich. Traducción del P. JUAN M. SOLÁ, S. J. Un volumen de 718 págs. de 25 1/2 x 16 1/2 cms. En rústica, ptas 20; en tela, ptas. 24.

EN PREPARACIÓN

Diccionario Latino - Español

Etimológico y completo con un
VOCABULARIO ESPAÑOL - LATINO

redactado según los mejores trabajos de lexicografía Latina por el
cuerpo de Redactores de «Palaestra Latina» bajo la dirección del
RDO. P. MANUEL JOVÉ, C. M. F.

Contiene todas las voces latinas, grecolatinas y aun las griegas más usadas por los autores latinos, acompañadas de su etimología. Las diferentes acepciones de las palabras quedan probadas con frases cortas y claras, tomadas de los Autores Clásicos, y fáciles de retener en la memoria. Al fin pónese la etimología de cada voz.

Los vocablos raíces llevan a continuación las palabras de ellos derivadas. Al pie de las voces van los correspondientes sinónimos para que consultándolos en su propio lugar, pueda el lector distinguir el sentido más propio de cada uno de los vocablos.

Las palabras cuya ortografía es inaceptable, según las últimas investigaciones filológicas van precedidas de una cruz, y éstos y los de ortografía no tan aceptable hacen llamadas al lugar donde se hallan con ortografía hoy bien probada.

Llamará poderosamente la atención el VOCABULARIO ESPAÑOL-LATINO que presenta una multitud de palabras más o menos modernas con su correspondiente, o al menos más probable, traducción latina; lo que constituye una singularidad entre los demás diccionarios similares nacionales y extranjeros.

Lo que acaba de avalar el nuevo DICCIONARIO son un conjunto de preliminares sumamente prácticos, como por ejemplo: 1) un resumen de gramática latina; 2) un resumen de estilística; 3) un resumen de historia de literatura latina; 4) una breve y clara exposición de la pronunciación clásica del latín; 5) un corto guía de conversación latina; 6) la lista completa por orden alfabético de los pretéritos y supinos irregulares; 7) una breve noticia de los Autores Clásicos latinos; 8) los paradigmas claros de las declinaciones y conjugaciones regulares; 9) el calendario romano; 10) cuadro de monedas y sistemas de pesos y medidas; 11) nombres de ciudades y naciones modernas, etc.

Para todas las referencias que sobre el diccionario puedan interesar a nuestros lectores, diríjase única y exclusivamente a

EDITORIAL RAMÓN SOPENA, S. A.

PROVENZA, 95. - BARCELONA. - TELEFONO, 33105

P. J. Llobera, S. J.

Grammatica Classicae Latinitatis

Ad Albari Institutiones doctrinamque recentiorum conformata, scholis Hispanis Americanis, Philippinis

Expositione nitida, principiorum exemplorumque copia, ordinatione mira et ratione, allisque praestantissimis virtutibus, hoc opus Clm. Llobera princeps mirum in modum commendatur.

E. SUBIRANA,

Puertaferissa, 14 (apart. 197)

BARCELONA

Tresor de la Llengua,
de les Tradicions i de
la Cultura popular
de Catalunya

per
A. GRIERA

Vol. I: A - AZOCS

Vol. II: BABAIAR - BUVOR

Vol. III: CAI CAVEGOL

Vol. IV: CAVEGUELL-CUTXILLA

Cada volum en quart, passa
de tres-centes pàgines.


Preu de cada volum: 30 ptes.

Pot adquirir-se a

EDICIONS CATALUNYA, S.

Pl. 12, BARCELONA

i a les principals llibreries



Librería BOSCH

Ronda Universidad, 11

Librería Bastinos

Calle Pelayo, 52

CASAS ACREDITADAS
OBRAS DE SELECCION

Especialidad en obras de Filosofia, Derecho, Ciencias sociales, historias

PIDANSE CATALOGOS

Obras nacionales y extranjeras

Dirección telegráfica «BOSLIBRI»

Teléfono, 20600

COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS

PUBLICATIO BIMESTRIS

Opera et studio

M M. Filiorum I. Cordis

B. Virginis Mariae

Directio et Administratio:

VIA GIULIA, 131
ROMAE (XVI)

EPITOME HISTORIAE GRAECAE

Libro de traducción para el primer curso de latín, preparado por **J. M. Jiménez, Delgado, C. M. F.** Forma un volumen de X-112 págs. impreso en papel couché e ilustrado con profusión de grabados y mapas al precio de 5 ptas. ejemplar. A los Sres. profesores se hacen descuentos excepcionales en pedidos de más de 10 ejemplares.—COCULSA, Apart. 1042, Barcelona.

PRUDENTII CARMINA SELECTA

Edición escolar para los últimos años de latín preparada y anotada con esmero por el profesor de latín **Enrique Martija, Alfaro, C. M. F.** Prologada por el Profesor del Instituto Balmes de Barcelona. Forma un volumen de 120 páginas.

COCULSA, Apart. 1042, Barcelona.

PRAEPARANTUR:

ANTONIUS VIATOR, S. V. D. Molae Subterraneae seu ULTIMAE HORAE CULTUS IDOLORUM ROMANI. Fabula in quinque actus facile atque jucunde a pueris agenda. Constatit 112 pagellis 11 x 14 et pretium ejus erit 2'50 pesetarum.

J. M. JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F. — M. T. CICERONIS ORATIONES SELECTAE in usum scholarum adnotatae.

ENRIQUE MARTIJA, C. M. F. **El libro segundo de la Eneida** comentado e ilustrado para los latinos de tercero o cuarto año.

COCULSA

**LIBROS - MENAJE ESCOLAR
OBJETOS RELIGIOSOS**

HE AQUI LO QUE VD. BUSCA

La Editorial y Librería «Colaboración Cultural, S. A.» «COCULSA», SIRVE cuantas obras deseé Vd. adquirir dentro de la moral cristiana, lo mismo de ciencias, devocionarios, literarias y de primera enseñanza; como de música religiosa, estudio y concierto. También cuenta con grandes existencias de artículos religiosos, estampas, medallas, crucifijos, escapularios metálicos y en tela, etc., etc. A usted que necesita adquirir libros con frecuencia, le interesa centralizar sus encargos en esta Editorial-Librería.

“Coculsa” Apar. 8013, Guzmán el Bueno 18, Madrid y Apar. 1042, Av. Claret 47, Barcelona



PALAEASTRA LATINA

MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

In Hispania ab anno 1930 editur Cervariae
opera et consilio Patrum Claretianorum
seu
Filiorum Immaculati Cordis Mariae (C.M.F.)

MODERATORE:

RDO. P. EMMANUELE JOVÉ

Literarum Latinarum Professore et Parisiensis Societatis
Studiorum Latinorum Membro

Subnotatio in singulos scholares cursus constat:

6 pesetas in Hispania
7 » in America et Lusitania
8 » in reliquis Civitatibus

Collectio completa ab ineunte curriculo 1930 ad
finitum curriculum 1936, quae quidem collectio ad nu-
merum 54 pervenit, constat:

36 pesetas in Hispania
42 » in America et Lusitania
48 » in reliquis Civitatibus

Pretium mitti potest per collybum (cheque) internationalem vel per Num-
marias quarum sunt Cervariae sedes secundariae scilicet:

Banco Hispano Colonial, Macià, 5
Banco Español de Crédito, Verges, 19
Banca Arnús, Verges, 32

CERVERA (Lérida) España